1667

Liertena

[illegible] 24

VACANTE
SEDE MEDICA
IN INCLVTO BASILIENS. ATHENÆO PATRIO

SAMVEL EGLINGER

MED. D. ET MATHEM. PROFESS. ORDIN.
PRÆSES
PRO HONORE MVNERE AC MORE ACADEM.
SVMMO DEO
IN AVXILIVM VOCATO
ELEGANTIVM MEDICORVM
GRATIOSISS. INDVLTV IVSSVQ. IMPETRATO
AD MOREM [AN MEDICVM] FACILIS NATVRA REVERTI
ARTE QVA LICET NON ASTV
IN FORO MEDICOR. ÆSTIVO
AD AMPLISS. ACADEM. PROCERVM
ET QVORVM MVSIS ANIMVS IBI MOLLIOR INSTAT
CONFLVXVM IVDICIVMQ. BENIGN. DESIDERATISS.
SI MAGNANIMA INVIDIA VIRTVS CARET
TENTATVRVS EXPLORATVRVS
DIEI XXVIII. AVGVST. AN. M DC LXVII. HORAS MATVT.
DISQVISIT. ET EXAMINI SOLENNI

SEQ. LIENTER. ET COELIAC.
AFFECT. DELINEAT.

IVCVND. ASSERTOR. Q. S. EDVLCORATÆ
CLARISS. FACVLT. MEDIC. DOCTORIB.
AMICE INVITAT. HVMAN. Q. PROVOCAT.
IN PAREM SORTEM
PRO CONCESSIS VIRIBVS
DESCENSVRO RESPONSVRO
PRÆST. DN. M. FRANCISCO PLATERO BASIL.
FELICISS. FELICIS EX FRATRE THOMA PRONEPOTE
FELICIS POLIATRI AC SENATOR. GRAVISS. FILIO
SVB MERITISSIMO ILLVSTR. MEDICOR.
EXCELL. D. D. IOH. RVD. BVRCARDI PROF. MEDIC.
RECTORATV MAGNIFICO
AMPLISS. D. D. IOH. CASP. BAVHINI PROF. PRACT.
DECANATV SPECTATISS.
SACRAS FACIT.

BASILEÆ
TYPIS IOH. IACOBI DECKERI ACAD. TYPOGR.



VIRO

Magnifico, Nobilißimo & Excellentißimo,

DN. JOH. CASPARO BAUHINO,

Philos. ac Medic. Doct. Celeberrimo, Practices Professori Meritissimo, &c.

Fautori suo Eximio & Honorando,

Salutem cum officiis precatur & offert ex animo

SAMUEL EGLINGER,
Med D. & Mathem. Prof. ordin.



RImitias è quibusvis naturæ donis, Magnifice Vir, *priscos olim Romanos Numinibus debuisse, libâsseque memorat* Plinius. *Quidni & primitias studiorum meorum Medicorum Tibi, quem mite Numen (cui cor nostrum devovemus unicè) nutritium fœcundißimum iisdem concessit, & me debere, debuisseque (dispari quamvis modo) faterer ingenuè? Fateri sanè cogor, dum cogito, quantum olim dubium ac torpescentem, vel potiùs in tenuem quasi auram jam expansum animum consilio solidißimo (quod Tibi in omnes miscere eventus connatum solidißimè videtur) ac institutione insuper fidelißimâ erexisti non solùm, sed & ad tantum sedulâ curâ ac irrigatione perduxisti incrementum, ut deinceps adversùs æstum, frigusque per itinera, modico sed solido præscripto regimine, subsistere valeret. Neque Te pœnituisse laboris visum est unquam mihi, fructu tamen quovis, vel minimo frustratum esse, agrè procul dubio unà mecum tulisti: sed quid, quàm soli ineptitudinem, quæ elateri non convénit Tuo, accusem? Quid quàm poros ingenii ac animi mei plus justo pervios, ac externo aëri (iniquis ajo curis) nimium patulos, quod fructus intentioni haud responderit, nec eousque excreverit, ut audacter offerre auderem. Nec tamen perdere aut distrahere ob teneritudinem suam, sed cui curæ paullò minus fervidæ (absit, ut dicam tepidæ, modò gravem canitiem modestâ illâ prælatione reverear) fuêre Filio non degeneri,*

generi, τῷ μακαρίτῳ Hieronymo Bauhino, *Phil. & Med. quondam Doctori celeberrimo, nec non Theorices in alma Universitate nostra Professori meritissimo, Tuo non ita pridem Scipioni & Patriæ nostræ Achilli laudatissimo, offerre volui, Quem ab iniquis superatum fatis cum bonis omnibus lugemus, atque (dum nobis hæc otia facit) reclamitamus,* binisque *relictis* Filiolis, *germinibus lætissimis, Paternam, Avitamque virtutem, famam ac dignitatem ex animo precamur:*

Jupiter omnipotens, precibus si flecteris ullis,
Aspice eos, hoc tantum, & si pietate merentur,
Da deinde auxilium.

Non tamen hinc debitum curis, Magnifice Vir, *solvisse me Tuis existimavi unquam, quin potiùs novas ut truderet formas, fructus ut ederet (si non in aprico, saltem sub umbratico, quod amavit, genii cogitantis Dio) solidiores, proclivem sollicitavi semper animum: Edidit tandem, quem pagellis hisce collectum (nescio an fervente hocce canicularium æstu in numerosiores ac inutiles ferè frondes, pediculosve expansum dicere debeam) pleno voto ac ore offero, non ut crudo, sed ut consummatæ, Orbique erudito decantatæ eruditionis Tuæ fermento acuas, Tuoque, ut Doctis omnibus inde sapiat, magnifico applausu condias:* Hoc igitur fine, *quod submisso offero, maximo suscipias animo, sementemque uberiorem, quam Tibi, Tuisque (si Numina exorata ac in testimonium vocata indulserint) intaminatâ fide promitto, præstolator: Nec Te unquam suscepti laboris, ac elocati in humilem beneficii pœnitere, ac gratiâ Tuâ excidere meme (ne apud invidos gratitudinem excidisse mihi balitetur iniquè) finito, sed instito jam olim favore Tuo, amore, consilioque fovere, ac prosequi me pergito, lætumque vitæ (dum mundum pensito, sat saturæ, sat dubiæ) dimidium, si sit, residuum, quòd magnis placuisse Viris gaudere queam, relinquito: gaudebit profectò plusquàm auro sincerus ac humilis (nec ad sordida tamen aut vilia unquam natus) animus meus, si implorato affectu Tuo in utraque fortuna, quam Fatis, non nimiùm vanitatis hujus minutiarum sollicitus, medius, (spe tamen benigniori nunquam destitutus) committit, comitatus, excitatus ac sustentatus fuerit, nec dubitat,*

Est enim animus Tibi
Rerumq; prudens & secundis
Temporibus, dubiisq; rectus.

Perge proin, Magnifice Vir, *benè mecum agere, perge non malè sentire de me, sic benè se animus, meliùs se corpus habebit meum: Bonis, quod benè fit, haud perit: Flores jam modò hosce, loco fructûs debiti, bis denuò rogo, suscipe, sementem largiorem solidâ fide dicatam (nî pruina gelida mors interverterit) suo tempore suscepturus*

Posteriùs graviore sono Tibi musa loquetur
Nostra, dabunt cùm securos mihi tempora fructus.
Non etenim *tædia capti*
Ulla mei capiam, dùm spiritus iste manebit.

Faxit interim Deus T.O.M. Tuas

ne tarda Senectus
Debilitet vires animi mutetq; vigorem.

Serus (tandem opto) in cœlum redeas, diuque lætus intersis Musis nostris. Dabam è Musæo meo d. 10. *August.* An. MDCLXVII.



PRÆLOQVIUM.

HEraclitum *omnium ad occursum largissimis profusis lachrymis mortalium continuò detestatum esse miseriam cui non constat! Nec mehercle injuriâ, si miserandum miserrimi Hominis statum perpendamus; Equidem, ut Dictator noster* Hipp. in epistola ad Damagetum *ait, Homo totus ab utero ipso morbus veluti est;*

Nascentes morimur, finisque ab origine pendet.

Nec enim ulla existit ætas, nec anni tempus, nec vitæ status, quibus non innumeras subinde experiamur ærumnas, patiamur afflictiones, etiamsi ex artis præscripto nobis maximè vivere videamur, nam & tunc non est otiosa natura, quæ fatales Homini, *ut cæteris creaturis, leges indixit,*

Florem decoris singuli carpunt dies;
Morsque rapit Juvenes primâ florente juventâ,
Non oblita rapit sed tamen ipsa Senes.

Tantò autem majoribus discruciatur, conficitur malis, si quibus frui datum, bonis naturæ abutatur, iis præprimis, quæ gulosum appetitum satiare habent, cui ut placeat, medicè vivere, pessimè vivere (proh quàm iniquè) exclamat, nullumque rerum non naturalium dictarum ordinem, nullamque victûs rationem maximè observat ignarus quod priora jam agnovêre sæcula, gulam omnium ferè morborum parentem esse. O utinam, quod Plinius histor. suæ natur. l. 11. c. 53. *Oraculum medicum agnosceret; Homini cibus utilissimus simplex, acervatio saporum pestifera, & condimenta perniciosiora! O utinam cum* prisca germanorum gente *cibus non nisi ex avena pultes essent, & mensa, quæ famem sedaret, ut provocaret, ita dimitteret, ut qualis quis pridie venerat, redire postridie posset! O utinam cum* Anacharsi *gloriaretur, Mihi pulpamentum fames! Sed frustrà mensis nostris sobrietatem, frustrà famem optamus: Longè alienus à Patrum tempore mos est noster, sobrietatis arx oppugnata, expugnata jamdudum est, certatim jam poculis contendimus omnes: iisdem temperandis Medicorum (an dicam medicastrorum) consilio cibi copiam objicimus, iisdem sanandis postridie pocula reassumimus, æquamque naturam ad vindictam justissimam invitamus: Sed crede mihi,*

Vino forma perit, vino corrumpitur ætas.

Hinc enim, veluti ex equo Trojano, infinita morborum genera propullulant, ex quibus non infrequentes, tanquam justa sæpè gulæ supplicia, sunt præsentes, quos raptim è veterum, quæ mihi inter moderna modica est, supellectile chartaceâ maximè hausi atque delineavi, Lientericus & Cœliacus affectus, *quorum, ut & annexorum miscellaneorum, difficultates si non attigerim vel superaverim omnes, tempori, corporique æstuanti pepercisse, ac publico congressu, occasione datâ, Bono cum Deo, ad eas (ni mentem turbaverint circuli) responsurum me scire velim eos, quibus ad æquam rationis lancem suspensæ paginæ hæce meæ minùs arrident; si nec tum satisfactum crediderint, veniam sibi, mihique apud venustum* Barclajum *paratam accersant, cui non minùs, quàm remotissima Terræ spatia, hominum ingenia, mentesque disgregantur, hisque potiùs quàm situ discriminantur: Et verum ita est, ait* Terentius, *Quot homines, tot sententiæ, suus cuique mos. Cæteris qui, nisi quod ipsi fecerint, nihil rectè factum putant, abundè satisfactum esse existimo: Namque* Omnia perversæ poterunt corrumpere mentes,
Stant tamen illa suis omnia tuta locis.

Quare ad rem

Descendam ac ducente Deo flammam inter & hostes
Expediar, dent tela locum, flammæque recedant.

❋❋❋❋❋❋❋❋❋❋❋❋❋❋❋❋❋❋❋❋❋❋

THESIS I.

ΛΕιεντερία, quasi λειότης τῶν ἐντέρων, lævitas seu lævor intestinorum, Veteribus dicta est: [Procul dubio, quòd interioris intestinorum tunicæ lævorem mali præcipuam causam esse existimaverint, ut author est *Galenus comm. 6. aph.*1.] Quibusdam Fluxus stomachicus.

Κοιλιακὴ verò seu Cœliaca, à *κοιλία*, ventre vel ventriculo, i.e. à parte affecta nomen habet, unde & Ventralis & Ventriculatio dicitur, ægrique sic affecti (apud *Aurel.*) ventriculosi vocantur.

II.

In Homonymia nil aliud notamus quàm hoc: Quæ nobis Cœliaca est affectio, ab aliis adhuc Lienteriam vocari, & qui nobis Fluxus est chylosus, iisdem sub Cœliacæ nomine venire: In qua opinione nominatim est *Fernelius elegantissimus l. 6. Pathol. c.*10. Cui quò minùs subscripserimus, fecerunt tum nominis τῆς κοιλίας ratio, tum Autoritates *Gal. 6. de loc. aff. c. 2. Alex. Trallian. l.* 8. *c.* 5. *Aetii Tetrab.* 3. *serm.*1.*c.*37. *Aretæi* (qui judicio *Mercati* omnium doctissimè de Cœliaca passione scripsit) *lib. 2. de sign. & caus.diut. morb. c.*7. *Paul. l.*3. *c.* 40. Qui omnes apertè satis pronunciant, Cœliacam passionem accidere, cùm retentrix ventriculi ac intestinorum facultas debito inferior existit. Certum verò mihi est (ut hoc præoccupem) in fluxu chyloso ventriculum vix affici.

III.

Definitur Lienteria à *Gal.comm. 6. aph.*1. velox exitus eorum quæ comeduntur ac bibuntur, ut talia dejiciantur, qualia fuêre devorata. Breviùs ibidem: Concoctionis privatio. Prior, animadvertente *Argenterio*, non nisi extremæ competere potest, cùm plerumque assumpta aliquam in anfractibus intestinorum moram patiantur, ac levem mutationem subeant: Commodè nos sic definiemus: Celer assumptorum, non, aut vix immutatorum per alvum excretio, à ventriculi intestinorumvé retentione ablatâ aut multùm imminutâ proveniens.

IV.

Cœliacam definimus, quòd sit semicoctorum alimentorum per alvum excretio, à ventriculi intestinorumvé imminuta retentione proveniens.

V.

Affectus ipsi diversimodè considerati, non recusant & morbi & causæ morbi, & Symptomatum nomine vocari. Nomine morbi, quia per se actio læditur, ventriculi scil. ac intestinorum retentio. Nomine causæ morbi, quòd eorum occasione variæ intemperies, obstructiones, &c. inducantur. Maluimus tamen in præcedentibus thesibus per Excretionem definire, adeoque in Symptomatum numerum scribere, neque nunc multùm laborabimus, ad quod illorum genus commodissimè referri queant: Dicimus namque cum *Massaria* Symptomata esse Symptomatum. Vitia sunt in Excretis, quatènus quæ ejiciuntur, substantiâ ac quantitate præternaturalia sunt. Hoc verò excretorum vitium insequitur læsas ventriculi ac intestinorum actiones, depravatam nempe excretionem, aut abolitam imminutamvé retentionem. Itaque sive quis Symptomata appellet in excretis, sive in actione læsa, meo

judicio non errabit,nec exinde in Curâ aliqua subnascetur diversitas. Assumpta verò cùm ejici diximus, non omnia, sed maximam tantùm partem intellectam volumus, secùs brevissimo tempore omnem Lienteriam insequeretur tabes.

VI.

Diximus præterea in Definitione, à ventriculi intestinorumvé retentione ablatâ aut imminutâ dependens. Ut scil. partes affectæ indigitentur. Quod autem ventriculus & intestina laborent, in signis docebimus; Quomodo, in Causis.

VII.

Uterque affectus easdem habet saltem magnitudine differentes causas, & hæ sunt vel Remotæ, vel Proximæ. Proxima est ablata aut imminuta ventriculi, ac intestinorum retentio. In statu enim naturali proprium est ventriculi cibos amplecti, ac sese circumstringendo, (uti *Altomarus* post Galenum repetit) detinere, concoquere, demumque ad inferiora distribuere, hæcque omnia non suâ à Natura inditâ asperitate (prout crediderant ante Galenum veterum quidam) sed proprio temperamento ac idiosyncrasiâ. Intestina porrò, id quod è ventriculo emissum est, non tantùm per venas (sive lacteas, sive rubras, sive utrasque) distribuunt, fæcesque propellunt, sed insuper quæ minùs acceperunt elaborata, perficiunt magis, adeoque per aliquod temporis spatium detinent: Quam detentionem firmamus, tùm variis intestinorum anfractibus, tùm Magni nostri *Bauhini* verbis, qui *Theatri sui Anat.* elaboratissimi *lib. 1. c. XVII.* ipsis eam ope interioris tunicæ obliquarum fibrarum concedit, sicuti expultricem, mediæ illorum tunicæ fibris transversis, paucioribus rectis tanquam staminibus intertextis. Et hic est status ventriculi ac intestinorum naturalis, non saltem in eorum temperie, sed conformatione ac unitate debitâ consistens.

VIII.

Læsâ itaque retentione vel retentrice facultate consequens est, ut cibus, qui retineri nequit, dejiciatur, vel planè non mutatus, vel non satis, prout retentio aut omninò ablata, aut imminuta duntaxat fuerit. Neque est, quòd quis concoctricem accuset, eo argumento, quòd incocta & cruda excernantur: Non enim cibi, quia non coquuntur, dejiciuntur, sed quia dejiciuntur, non coquuntur. Frustrata est concoctio, non læsa, vel dic si vis, læsam esse per accidens.

IX.

Læsa verò est retentio, vel primariò, vel secundariò & per accidens. Sic enim includimus vitium expultricis, ac errorem externum. Dùm nimia ciborum copia ingesta, subitoque ad inferiora transmissa est, impropriè tantùm debilis dicitur retentio, respectu nempe hujus cibi, non quòd in se debilis sit. Dubitat hic *Argenterius*, an si ventriculus officio defungatur suo, Lienteria aut Cœliaca passio creari unquam queat? Resp. quòd non. Quando enim benè officio suo fungitur, laudabilem generat chylum, qui è corpore profluens, neutrum ex nostris affectibus, sed fluxum chylosum constituit: Ergò, dices, non opus est, ut intestina dicamus affecta, sed solum ventriculum? Minimè, sed sunt concausæ, & læsâ ventriculi retentione, læditur simul intestinorum (tum ob causas easdem, tum ob similitudinem substantiæ, ac vicinitatem) secùs enim alimentum in intestinis retineretur, aliqualiter concoqueretur, sicque Lienteria non induceretur.

X. Veni-

X.

Venimus ad Causas læsæ per se retentionis. Læsæ actionis Causa est morbus, vel similaris, vel organicus, vel communis. Adest hic plerumque similaris, interdum organicus. Intemperies videl. frigida, humida; nimia Pylori laxitas vel dilatatio. Ordine: Intemperies ventriculi ac Intestinorum frigida retentricem debilitat, hinc sæpè post graves morbos, dissipato calore, & succedente frigiditate, assumpta, incocta, per alvum illicò redduntur. Intemperies humida, eorum tonum invertit, sicque retentionem labefactat. Raro autem hæ intemperies vel simplices affliguntvel absque humore, sed plerumque cum hoc conjunctæ. Humor verò vel in ventriculo genitus est, vel aliunde affluxit, sive tenuis sit, sive viscidus, lentus, crassus, ventriculum & intestina oblinens. Nimia laxitas vel dilatatio Pylori (inducta à rebus laxantibus, cibis, humoribus) ob quam vix mutati cibi sive ob pondus suum, sive aliam ob causam exeunt. Nonnunquam etiam ex resolutione sexti nervorum paris, villos interioris ventriculi tunicæ constringentis, ejusdem retentricem aboleri ex *Bauderonio* (quod tempore hyemis per nivosas alpes iter facientium neminem negaturum scribit) testatur *Sennert. Prax. l.3. p.2. s.2. c. V. de alvi fluxu.* Sunt qui & obstructionem occlusionemque vasorum in intestinis accusant; hinc post magnas dysenterias (ubi magnis cicatricibus vasa ea obturata sunt) Lienteriam inquiunt oboriri. Sed meo judicio malè, sic namque fluxus tantum chylosus inducitur. Meliùs recurremus ad retentricem valdè tunc à vitiosis humoribus labefactatam, prout post magnos morbos cōtingere superiùs paulò innuimus.

XI.

Secundariò & vitio expultricis læditur retentio, cùm expultrix irritatur ad cibum ante coctionem ejiciendum. Irritationis causa esse potest, tum exquisitus nimis ventriculi intestinorumvè sensus, tum soluta unitas. Hoc docet *Gal. 4. aph. 12.* exemplo ulcerum in tunicis, tum superficiariorum, tùm profundiorum. Sic Tumores ventriculi partiumque vicinarum, ut Erysipelata, œdemata, abscessus, &c. ob molem suam ac dolorem ex ingestis perceptum expultricem incitant, annuente *Mercato, Pisone,* &c. Non excludimus humores acres, mordaces præternaturales ex hepate, ut bilis, vel Liene, ut vocata melancholia, vel ex aliis partibus hûc demissi. Hinc enim notante *Sylvio de Lient. curat. p.* 437. interdum Ascitis expurgationem Lienteria sequitur, mordacibus humoribus in intestina profluentibus. Neque vapores nihil conferunt, maligno nidore, tetrisque halitibus eas partes lancinantes, ac ad expulsionem stimulantes; Hinc post abscessus pectoris, renum, matricis, &c. ruptos, Lienteriæ observatæ fuerunt.

XII.

Recensitæ causæ omnes affectibus his generandis non ineptæ videbuntur Oculatissimo *Bauhino* nostro, qui *Theatr. Anat.* consummatissimi *lib. II. c. IX.* ex levissimo insultu ventriculum lædi posse, concedit, dùm nim. ex solius mucronatæ cartilaginis, plus nimium introrsum curvatæ, osque ventriculi (quod ab illa in viventibus, secùs ac in demortuis non longè distare, cum *Galeno 6. de us. part. c. 2.* hancque ejus fulcimentum ac propugnaculum esse, non obstante *Columbi lib. 1. de re Anatom. c. 21.* aliorumque recentiorum contrariâ sententiâ, cum Doctiss. *Ludov. Septalio lib. de mucronat. Cartilag. aff. c. 3.* asseveramus. Quòd enim eo loco ventriculus à jecore non cooperiatur, fomenta illum corroborantia, à plerisque laudata experimento erunt) comprimentis, in adultis continua & dolorifica vomitio cau-

satur-

fatur, qui affectus stomachi descensus, animæ seu furculæ casus, Hetruscis anima caduta dicitur, quem præter *Bapt.Condronchium*, egregio modo citato libro Doctiss. *Septalius* depingit. Hic recidit in memoriam observatio ac casus, mulieris cujusdam asciticæ, nuper in Nosocomio nostro sublatæ, cujus cadaver (præeunte Excell. *D.D.Joh.Rud. Burcardo, Prof. dignissimo*, tum temporis ejusdem visitatore) eductâ priùs aquâ apertum, ventriculum anterius adnatum, magnoque foramine diruptum, crassa intestina quasi impervia & coalita, maximè circa finem coli, cui carnosæ excrescentiæ instar coralliorum suffruticantium adnatæ plurimæ, cæteris visceribus vix à naturali constitutione recessis, exhibebat: Hæc ab aliquot annis ab ingesto cibo torqueri cœpit, & quasi corrodi, unde vivum animalculum in corpore alere sibi persuasa, cibum assumptum vomitu illicò rejecit, tandem fœcibus, plùs quàm à sex mensibus comitatum, quo tempore continuò tum ociosa fuit alvus, ascitesque cum omnimoda corporis consumptione, summoque abdominis tumore, ac tandem mors lætissima insecuta, quam ultimâ nocte fragor vehemens, quasi ruptæ cujusdam partis internæ, prout ipsa percepit ac illicò retulit, præcessit. In quo casu enodando, non longè à veritate conjecturâ meâ recessisse mihi videor. Adnatum nim. ventriculum cibi pondere dolorificè quasi ab animalculo roderetur, tractum, irritatum ac gravatum, eundem mox rejecisse, sicque concoctioni secundæ materiam, totique corpori alimentum necessarium subtraxisse, ac humorem inutilem nec elaboratum ascitis materiam reliquisse; intestina, quòd muneris sui ex materiæ advenientis, vel potiùs amandandæ defectu, non ampliùs commonefierent, spontè coaluisse; ventriculum (qui valdè extenuatus, atque à sero, motu inordinato, &c. jam aliàs satis labefactatus erat) procul dubio à flatibus, qui plerumque comites sunt, nimiùm distentum, ultimâ nocte diruptum esse, fabulæque finem dedisse. Et tantùm de his ὡς ἐν παρόδῳ insertis: Redimus in viam.

XIII.

Inter Causas externas sunt 1. Aër austrinus, frigidus, humidus. Inde *Cous noster* Lienteriam ad morbos autumnales retulit, *3.aph.22.* Adjungit elegantiss. *Fernel. l. 6. Pathol. c.10.* inquinatum, inordinatum, venenatum & pestilentem, qualis apud ipsum Lienteriam Epidemicam induxit. Succedunt alimenta, quantitate, qualitate, ordine, &c. peccantia. Quantitate, quatenùs copiâ suâ gravant. Qualitate, ut sunt nimis lubricantia, Oleum, Butyrum, adeps, Pruna, Persica, Cucum. Melon. reliquique fructus horarii facilè putrescentes. Etiam Venena & Pharmaca fortiora, metallica, scammoniata, &c. non ritè præparata, quatenùs expultricem irritant. Ordine, sic si venter naturaliter sit lubricus, ac adhuc præmittantur, quæ lubrica & pinguia sunt; quale exemplum notavit *Forest. l.22. obs.26.* Potus nimius aquæ, frigidæ inprimis corpore æstuante; obruitur namq; ventriculus & calor. Tepidæ quoque potus cum ventriculi tonum laxet. Motus inordinatus, saltatio, equitatio, navigatio, &c. statim à pastu, quibus alimenta incocta è ventriculo turbantur. Somnus nimius & vigiliæ nimiæ, his ventriculus refrigeratur, illo excrementa cumulantur. Nimia humorum utilium excretio, seminis maximè, cùm sic frigida corpori toti, ac ventriculo intemperies inducatur. Animi affectus omnes vehementiores, ut ira, tristitia, quæ corpus & mentem impensè movere queunt. Inter Fortuita sunt ictus, casus, percussio & offensa quæcunque ferè ventriculi & appendicis sui.

XIV. Diffe-

XIV.

Differentiæ aliquæ dari possunt. Sic apud *Saxoniam*, alia est Legitima, quæ fit retentione per se læsâ, alia Spuria, eâ per accidens læsâ. Ratione causarum, quales exurgant differentiæ, videatur in ipsis causis. Sic alia morbis gravibus successit, alia non; alia diu duravit, alia non diu; alia periculosa habet conjuncta symptomata, ut appetitum dejectum, tabem, spirandi difficultatem, &c. alia non; alia est Epidemica, alia Sporadica. In alia frequentiùs dejicitur & omnibus horis noctе & die, in alia minùs frequenter. In alia incocta tantùm alimenta deponuntur, in alia simul humores, sanguis, bilis, consentiente *Jac. Sylvio*; si nim. maligna sit & dysenteriam minetur; aut saltem alimenta in pejus mutata, & olida.

XV.

Ex prædictis quamvis major signorum pars pateat, eadem tamen hoc loco accuratiùs recensere instituti erit. Trademus signa ipsorum affectuum, partis affectæ, causarum, Diagnostica, demùm Prognostica. Si itaque novimus assumpta celeriter per alvum, non, aut vix immutata ejici, Pathognomonico quasi signo Lienteriam deteximus. Sin alimenta post 6. aut 7. demùm horas excernantur, eaque liquida, spumosa, subpallida & inæqualia, breviter semichylosa, Cœliacam indicabimus. Superveniunt demùm alia signa; ægri cibum aversantur, fiunt decolores, graciles, membra labascunt, venæ temporum exertæ apparent, venæ ventris livescunt, &c.

Facilè itaque erit duos hos affectus à se invicem discernere, cùm secundùm magis & minùs duntaxat differant, ac Cœliaca veluti via sit ad Lienteriam. Facilè quoque utrumque à fluxu chyloso, in quo verus dejicitur chylus, distinguemus. Et facilè à Dysenteria, diarrhœa, fluxu hepatico, &c. in quibus vel sanguis, vel humores excrementitii, biliosi, pituitosi, &c. expelluntur.

XVI.

Signa partis affectæ desumimus ab excretis. Cùm enim quæ ventriculus ac intestina continere debuissent, profluunt, eas partes laborare docemur. Sic, ut ad causarum dignotionem accedamus, lædi retentricem, non concoctricem, sciemus ex dejectionis celeritate. An ob errorem externum, medicamentum vehemens, cibum largiorem, vitiosum, &c. dicent tibi æger & adstantes. Si ab intemperie frigida, ab initio ructus sunt acidi, sitis nulla, lædunt frigida, cibi redduntur impermixti, aut præcesserunt morbi graves.

Plerumque adest intemperies F. H. cùm materia, & ex hac pronatam Lienteriam venabimur, si copiosa sint sputa, nulla ferè sitis, si ægri juventur à calidis siccis, lædantur à contrariis, fluctuatio sit ventriculi, si cum cibis dejiciatur pituita. Humor, à qua parte ad ventriculum fluxit, per propria partium affectarum signa investigabis. An ex pylori laxitate, docebit antegressa F.H. ipsius ventriculi intemperies. Si iter feceris per nivosas alpes, accusabit *Bauderonius* resolutionem sexti nervorum paris. Expultricis verò irritatæ indicium capesses, ex dolore & mordicatione præterlabentis alimenti, calore, ardore, siti, excretione humorum acrium, causis exulcerationis prægressis. Si tumor aliquis earum partium in causa fuerit, specialia ejus signa indicabunt.

XVII.

Quoad Prognosin, uterque affectus periculosus est, ratione dignitatis partis affectæ, & actionis læsa. Ex læsa namque retentione alimenti, frustratur concoctio, hinc corpus genio ac nutrimento defraudatur, ac inpri-

mis, si diutiùs durent, atrophiam, hydropem, tandemque mortem minantur. Lienteriam verò (non obstante contrariâ *Mercati* sententiâ) periculosiorem pronuntio, quippe quòd excreta longè magis à natura recesserint, facultasque retentrix ventriculi, ac intestinorum vehementiùs læsa sit. Quæ Diarrhææ, Dysenteriæ aut aliis longis, gravissimisque morbis succedit, lethalis existit, omnimodam scil. virtutis defectionem indigitans. Quæ ab humorum fit acredine, abrasâ ventriculi ac intestinorum superficie, cessante humorum malignitate (ait *Gal.6.aph.*1.) statim sanatur cibis & potibus densandi vim habentibus. Si verò longiori tempore perseveret, in alteram passionem dysenteriam transmutatur. Quæ cum spirandi difficultate & lateris vellicatione accidit, in phthysin vel febrim tabidam desinit. *Hipp. in Coac.* Causam ostendit accuratissimus *Duretus in suo comm.p.*354. In longis intestinorum lævitatibus si ructus acidus superveniat, qui anteà non erat, bonū. 6.*Aph.*1. Reminiscitur nempe natura sui muneris, ac quoddā veluti coctionis rudimentum molitur. Notum enim est, frustrationes coctionis ex frigiditate provenientes, ructus acidos facere. Majus quoque fit periculum, si ita frequens sit dejectio, ut venter omnibus horis, noctu ac interdiu fluens, somni tempora corrumpat: Maximè si prorsus cruda ea fit, aut nigra, aliterve corrupta. Si cibi amittatur cupiditas, bibendi verò accrescat desiderium, nec tamen æger pro modo potionis mejat. Hinc pars speratæ sanitatis est, urinæ modum poculis respondere cœpisse, corpusque nutriri, ac sine febre, sine pravis coloribus esse, quod faciliùs in teneris, quàm profectioribus obtinetur ætatibus. *Piso l.*3.*c.*12. Periculosa est Lienteria Epidemica, & quæ Pulmonis vomicam, pectoris aut renum suppurationem sequitur. Et tantum de Diagnosi ac Prognosi: Progredimur ad curam.

XVIII.

Igitur indicationibus binis, sec. & p.n. quarum hæc sui ablationem, illa conservationem, suadent, triplici instrumento subveniemus, Diætâ, Pharmaciâ, Chirurgiâ, quibuscum modò viam ac methodum inimus regularem seu ordinariam, causas nim. morbi sese invicem consequentes tollendo, ita ut quæ in resolutione fuerit postrema, prima sit in curatione & sic deinceps, modò extraordinariam, symptomati graviori & urgentiori occurrendo. Cùm itaque cognati atq; eodem medicationis ductu exstirpandi affectus hi, tanquam symptomata à suo dependeant morbo, hinc indicationes curativæ petendæ veniunt: Intemperies ergò nuda suadet alterationem per contraria, Composita simul vacuationem. Mala conformatio, tumor sui ablationem per ablationem causæ, Laxitas adstrictionem, &c. Indicationes à causis sunt. Si materia quantitate peccet, evacuetur per convenientes vias; si qualitate, alteretur; si motu, avertatur, intercipiatur, &c. Si externæ causæ firmentur, morbūq; adaugeant, auferantur. Vires tam totius corporis, quàm ventriculi sui conservationem per roborantia indicant. Notandum tamen, cùm debilitas ventriculi ab intemperie ejus frigida dependeat, coincidere hic roborantia cum alterantibus. Symptomata denique eatenùs medici operam ad se rapiunt, quatenùs aut naturam causæ morbum augentis, aut vires debilitantis induunt, suique hoc fine vel mitigationem, vel correctionem expostulant. Dolor nim. dùm vehementiùs urget, demulcendus.

XIX.

Quòd si itaque intemperie F.H. (utì fit frequentissimè) foveatur & oriatur affectus, suadebimus ante omnia, tanquam tutissimam *Hipp.* medicinam, convenientem diætam, & in hac aërem naturâ arteque emendatum, purum, ad ca-

ad calidum siccum inclinantem: hinc ut abdomen pannis ac pellibus optimè cooperiatur, obtemperare jubemus *Galeno 8.de med.sec. loc.4.* Suademus ex eodem *l.de sal.vict.rat. comm.27.* ut abstineat æger à motu vehementi, inprimis post pastum, ne præcipitet cibum, è contra exercitiis moderatis, deambulationibus mediocribus à cibis & ante cibos animum laxet. Quas nec somnus, nec vigiliæ immodicæ excipiant, cùm ille cruditates coacervet, hæ calorem nativum, spiritusque dissipent, ac facultates animales dejiciant. Ampliùs tamen & tutiùs *Trincavellus* indulget somno ac quieti, tum quòd ille plurimùm ad continendum cibum (omnes præter sudorem evacuationes cohibendo) conferat, concoctionemque mirificè juvet, tum quòd hæc humorum atque corporis perturbationem sedet, quam sec. *Hipp.4. Aph.14.* impellit motio ac exercitatio. Quoad excreta & retenta, observetur *Celsi* præceptum, ut non, quoties libet, sed quoties necesse habent, desideant ægri, quò sic morata natura redeat in viam. Animi affectus omnes vehementiores, curæ, tristitia, contentio, sollicitudines, cæteraque cuncta, quæ corpus ac mentem impensè movere queunt, omni curâ fugiantur. Iræ tamen, in quantum non omninò modum excedit, locus adhuc superesse potest.

XX.

Victus paretur parcior, concoctu facilis, quia concoctio læsa est, sit boni multique nutrimenti, nec frequens ejus assumptio, quò (ut *Gal. de sal. vict. rat. comm.22.*) natura fiat avarior, magisque in penuria contineat. Liberaliùs enim profundit in affluentia: Non sit diversus, Quò enim simplicior fuerit, eò familiarior erit ventriculo, minusq; turbabit, & faciliùs continebitur, & contrà: Quod & de Potu tenendum, inprimis de copioso fugiendo, *Gal. 4.aph. comm. ult.* Cibi incidendi, tenuandi, detergendi, simulque adstringendi vi polleant: insuaves vitentur, ne aut gustatum irritent, aut appetitum prosternant, nauseamve moveant. Si ob peculiare commodum omninò tales exhibendi sint, permisceantur cum suavibus, & gratia fuco quodam externo illis concilietur. *Gal 8.de med.s.loc.1.* Crapula omnis evitetur, summum enim sanitatis studium est, non satiari cibis, & impigrum esse ad labores, monente *Hipp. 6 Epid. part. 4. aph. 20.* Non priùs comedatur, quàm prioris cibi congestio fuerit celebrata, imò inedia nonnunquam perferatur, quò natura externo alimento destituta, ad abundantis humoris concoctionem se vertat. Fames enim *7. aph.59.* corpora exsiccat. Biliosis autem ab ea sibi temperandum. Panis sit benè coctus & elaboratus, paretur cum semin. anis. fœnic. cumin. Carnes offerantur calidiores, ut caprina, leporina, pulli gallinacei, columbini, perdices, aliaque volucrum montanarum caro, quæ cum quadrupedibus collata, judicio *Hipp.l.2. de Diata,* siccior effertur, quòd neque urinam, neque sputum aut salivam eas fundere videamus, sicut quadrupedia, quoniam nim. moventur crebriùs, aëre fruuntur sicciore, minusque humido pascuntur alimento, quas omnes aromatibus ac stirpibus calidioribus, rorismarin. cumin. anis. cinam. &c aliisq; ventriculo gratis condire ac farcire, potiusque assas, quàm elixas offerre jubet *Gal.8.de med.s.loc.3.* Vinum concedatur calidius ac vetustius, austeritatis cujusdam particeps, quod, juxta eundem *de Cib.boni & mali succi,* & fluentem alvum inhibere & ventriculum firmare valet: iisdemque condiatur aromatibus ac stirpibus, præsertim absynthio, parcè tamen exhibeatur, ne caput tentet, convulsionem atque deliria efficiat, sicuti illis accidit, qui jejuno ventre talia vina liberaliùs ingurgitârunt, quorum *Gal. 2.aph.comm.21.* meminit: Exulent lac & lactaria cuncta, eaque tandem omnia, quæ laxandi, ventriculumque

emolliendi vim habent: Piscibus quoque abstineat, nisi multis aromatibus conditi sint.

XXI.

Ex fonte Pharmaceutico medicamenta conveniunt ea, quæ simul adstringendi, calefaciendique, nec non humorem præparandi, incidendique vim habent, qualia sunt Salvia, Puleg. absynth. Beton. menth. aneth. Spicanard, Celtica, Cinam. nux mosch. &c. Semin. odorata anis. citr. fœnic. coriandr. Cymin. Radic eryng. petros. asparag. allium, cæpæ, quæ simul cum cibis coquantur; aut pulverisata iisdem permisceantur, quorum plura vide apud *Aët. t. 3. s. 1. c. 37.* Notandum autem, ut, quantùm licet, calefacientia eo gradu seligantur, qui præexistenti & nativo calori, dùm sanus erat homo, proximè accedat, ac quàm simillimus existat; si verò frigiditas nimium excesserit, sit is caloris gradus, qui excessum retundere atque frænare valeat; nam ut Feliciss. *Plater p. 2. prax. f.* 502. habet, & nimia frigiditas & nimia caliditas naturali ventriculi concoctioni adversantur. Composita præterea varia ex officinis habentur utilia, ut Confect. arom. ros. Carioph. diamarg. cal. diacinam. diazingib. diatrion piper. &c. Condit. cort. citr. arant. rad. ering. pimpinell. Conserv. beton. absynth. salv. rorismar. major. Syrup. de menth. absynth. beton. calamenth. Mel rosat. Oxymel simpl. composit. Scyllitic. (quod ex melle & aceto Scyllitico paratum, omni laude superius manet; antiquissimo autore *Pythagorâ*, celebre, qui anno ætatis 50. eo usus, firmiter deinceps ad 117. vel sec. alios ad 80. aut 90. se habuit, unde experientiâ illud confirmatum commendat *Gal.* tanquam quo omnes Imperatores usi sint) aquæ stillat. cinam. anis. &c. Vinum Hippocrat. Aquæ Thermales sulphur. nitros. alumin. haustæ, vel balnea ex iis parata: E quibus omnibus variæ ad humoris præparationem, abstersionem, partiumq; post purgationem corroborationem, atque pristinam temperiei retributionem concinnari possunt formulæ.

XXII.

Post præviam humoris præparationem evacuatio per superiora aut inferiora molienda est, cavendo tamen à vehementer purgantibus, quòd ventriculum valdè debilem relinquant, atque admiscendo semper ea, quæ vim aliquam roborandi adstringendique habent, nam ventrem solvere super ventris solutione timorosum esse ait *Avicenna.* Vomitus itaque (quem bis in septimana laudat *Mercatus*) provocabitur, inprimis, si in ventriculo, ejusque ore maximè delitescat vitium, ægerque ad eundem sit pronus, ac cætera respondeant: Sin minùs, nunquam proritandus est, nec enim si in solis intestinis humores contineantur, semper per vomitum evacuare convenit, imò planè improbat *Galen.* in *comm.* 4. *aph.* 12. quo hyeme Lientericis vomitus interdicitur, cui tamen non assentimur, quia quamvis humor in intestinis, tamē simul etiam in ventriculo stagnat, imò quod in intestinis est, motu eorum peristaltico ad superiora retrahitur, unde ventriculus muneris retinendi commonefit. Hic tamen *Cels.* præceptum præterlabi nolim, vomitiones luxuriæ causâ fieri non debere; valetudinis verò interdum, eâ tamen cautione, ne quis, qui valere cupit, quotidianum hoc habeat. Varia autem tum simplicia, tum composita, mitiora, mediocria ac vehementiora prostant emetica: Laudat Laudatiss. *Plater.* Oxymel simpl. & scyllit. quòd simul humorem, si tenax sit, abstergant & incidant: Pulv. radic. asar. gutt. gamandr. Infus. emet. quæ ex croco metallor. in vino albo veteri infuso, non nisi filtrata tamen propinanda, ne substantia antimonii simul hausta rugis ventriculi & intestinorum impacta, enormes cruciatus, quod sæpè impe-

imperitorum consilio accidit, causetur: Alii pulv. gratiolæ ʒj. sacchаro vel conservâ fucatum, maximo cum sucessu concedunt. Quòd si vomitus non sufficiat, aut indicans purgationem suadeat, concinnetur aliqua ex infus. Rhabarb. Senn. agar. tantillo diaphœnici addito, aliisque usitatis in decentem formulam redactis, myrobalan. cepulis, hierâ (quæ, si ambigas, an bilis vel pituita peccent, quòd utrumque humorem eliminet, apprimè salubris est) ut & pilul. aloephang. mastichin. Extr. cathol. pil. coch. &c. quoniam diutina in ventriculo morâ factâ faciliùs humiditas infarcta inde eradicatur. Injiciantur etiam ex *Galeni* mente Clysteres acriores, qui materiam alliciant. In internorum autem usu advertendum, ut non nisi ventriculo grata, & solida potiùs quàm liquida (quò longiorem in eo moram trahant) offerantur, nunquam tepida (quòd sec. *Gal. 8. m. m. c. 5.* ventriculi firmitudinem dissolvant) cibique magis medicamentosi & adstringentibus commixti, quàm medicamenta pura, monente *Cl. Sebitzio.*

XXIII.

Humore evacuato reliquiæ discutiendæ, ventriculus & intestina corroboranda, tum intùs assumptis, tum exteriùs admotis, quorum illa præcedent. thes. maximam partem nominavimus, quibus adhuc alia, quæ Coctricem & Retentricem corroborent, varias in formulas Pulver. Tabell. Conserv. Syrup. Electuar. redacta superaddi ex materiæ medicæ penu queunt: Bibere demùm licebit decoctum radic. chynæ, lign. sassafras, cort. citri.

Externa erunt unguenta ex ol. nardin. menth. mastich. absynth. spic. cort. citri; Pulver. thur. Ladan. Styrac. calam. gran. parad. schœnanth. cinam. galang. malicor. &c. additâ cerâ parata, vel admixto iisdem furfure cataplasmata, vel vino rubro austero incocta ac spongiâ admota, fotus *Sylvio* dicantur: vel parabitur *Saxoniæ* lixivium ex iis, quæ modò ventriculum roborare posse diximus, admixto ad corroborandum & abstergendum ampliùs, oxymelite squillitico. Quæ tamen Topica cuncta anteriùs versùs sinistram, tanquam loco commodissimo ob ventriculum ibi maximè expositum, applicari volumus. Sic specificâ proprietate pudendum Tauri, Cervi ad ʒj. cum syr. de menth. vel absynth. exhibitum juvare ex aliis docet *Riolanus*: Smaragdum conferre volunt alii, quibus tamen repugnat *aloys. Mundella*: gloriatur etiam *Forestus l. 22. obs. 28.* se præter omnem spem Lientericum quasi divino auxilio restituisse, exhibito vitello ovi, nucis moschatæ unius pulvere inspérso, ac super tegulam ignitam assato.

XXIV.

Ex fonte Chirurgico cucurbitulam admovent ventriculo, quâ calor ex alto evocetur, ac quod ingeritur, probè contineatur: alii Dropace ac Synapismo utuntur, quorum ille calorem attrahit, vel alimentum, postea ne exspiret, oleo chamomill. quò pori claudantur, utuntur: Hunc verò ad humores varios vacuandos, revellendos, derivandos, &c. adhibent: Imò his non juvantibus, inter veteres *Aëtius* laudat ustiones ferro candente, quæ in summo ventre ad ventriculi regionem fiunt, intervallo duorum digitorum aut ampliori, quarum ulcera multo tempore aperta servari possunt: alii Setonem injicere malunt, quò commodiùs materia evacuetur, quæ tamen remedia, nonnisi cæteris omnibus frustrà tentatis, experiri demùm jubent: Nos tamen lubentes transibimus. Venæsectionem hic nemo (nisi aliud indicans eam suadeat) urgebit, quippe quòd jam caloris ac sanguinis penuria adsit.

XXV.

Quòd si humores acres ac mordaces in ventriculo & intestinis generati redundârint, maliq; fomes fuerint, iidem antequam vires extremè deficiant, priùs, nisi materia jamjam expelli facilis sit, præparati evacuandi veniunt: Præparabunt, quæ humores temperare, eorumque mordacitatem & acredinem frænare valent, qualia sunt aqua fragor endiv. cichor. acetos. borrag. plan ag. &c. Syrup. berber granat. acetos. violar. de agresta, papaver. jujub. sem. 4. frig. maj min. aliaque plurima, quæ mulcebrem, utì mucilaginosa omnia, vim habent, ex quibus decentes præscribi atque concinnari possunt formulæ. Hisce, si opus, præmissis humores per epicrasin educendi Rhabarb. mann. myrobal. citr. tamarind. syr. de cich. cum rhab. ros. sol comp. &c. s.a. contemperatis. Conducunt præterea Clysteres acriores, quibus profluvium alvi à mordaci humore dependens, tanquam per contrarium curatur, non secus ac vomitus vomitu solvitur. *Gal. comm l.2. Epid. j.6.* Vel si sursùm propensionem habeant humores, vomitus, & quidem duplici nomine juvabit, ratione nim. evacuationis, remotâ causâ fluxionis, & ratione revulsionis: Demùm ventriculus & intestina roborantur, ac intemperiei, quod reliquum est expungitur, cui scopo inserviunt cydoniata, syr. granat. berber. cons. rosar. rubr. beton. & alia.

XXVI.

Quòd si iidem humores acres aliunde in ventriculum confluant, pensitandum, nùm ex universo corpore, nùm ex capite, jecinore aliisvé partibus mandentur, quæ proin singulæ à causis iis, ob quas congestio & mox impulsio facta est, liberandæ sunt: Dein fluxio ad ventriculum inhibenda, sistendaque, tum revulsionibus, tum repulsionibus: Illæ vel cum evacuatione, vel citra eam fiunt: Præcipua cum evacuatione revulsio est vomitus, quod *Gal* variis locis, maximè *comm. 6. aph. 15.* docet, à longo alvi profluvio spontaneum vomitum supervenientem morbum solvere, quòd cursum materiæ ab inferiori alvo avertat, Medicumque proin in hoc naturam imitari jubet, cujus ciendi materiam & formulas ex th. XXI. mutuari licet. Alteram revulsionem molimur iis, quæ urinam cient, sicuti vicissim urinam immodice fluentem alvo citatâ revellimus, (quamvis 2. *in 6. Epid. comm. 7.* propriè hæc sit derivatio:) Hujus census varia habentur, utpote radic. apii, fœnic. petros. gramin. &c. bacc. alkekeng. sem. 4. frig. maj. syr. è 2. vel 5. rad. admixtis ad ventriculi, intestinorumque robur syrup. absynth. myrtin. &c. *Crato* miras sequenti semin. violar. emulsioni in consiliis suis tribuit vires: ℞. sem. violar. ℥iij. milii sol. saxifrag. an ℥j. cum s.q. aq. ononid. vel saxifrag vel flor. calcatripp. F. l. a. emulsio, syr. citri edulcoranda. Tertiam revellendi cum evacuatione rationem perficimus prolicito sudore, qui humorem ad ventriculum ruentem retrahit ad circumferentiam, quâ ratione & balneum alvum fluentem sistit. *Gal. l. 3. de rat. vict in acut.* Absque vacuatione revellunt etiam frictiones 4. *de tuend. sanit.* vincula & id genus alia: Quorum modò hæc, modò illa, pro ratione & copia humorum fluentium usurpanda. Repulsio demùm fiet adstringentibus cum roborantibus comestis, bibitisvé, tum & exteriùs admotis, quæ simul cum suprà allatis contemperandi atque concoquendi eosdem vim habent, qualia plurima medico Practico reperire atque in formulas debitas concinnare non difficile erit.

XXVII.

Quòd si expultrix irritetur ab Ulceribus aphthis similibus, aliisvé ejus-

modi

modi exulcerationibus, curationem vomitu auſpicari licebit, ſiquidem ab humore acri ac tenui concitantur, qui faciliùs per ſuperiora, quò motum ſuum facit, educitur, modò ægri natura, anni tempus, aliæque circumſtantiæ eum non diſſuadeant: Secùs per inferiora vacuare conveniet purgantibus mitioribus. Nec metus nobis erit cum *Mercato*, ulcus, evocatis per purgationem humoribus, ſic exacerbatum iri, quia non laudabiles, ſed acres ſuccos eliminamus, quibus ſublatis ulceri ſubvenitur. Hoc mali fomite ſubtracto, factus morbus eſt curandus leviter detergentibus, ſiccantibus atq; roborantibus (cavendo à pinguibus & jurulentis, ne ſordidiora fiant) nim. melle roſaceo, aquâ ſaccharatâ ex hordeo aut mellitâ, ſyr. roſat. ſol. manna. cum ſero chalyb. à quibus ſuccum ribes, granat. exhibebimus cum modico C. C. uſt. ebor. uſt. &c. conſ. roſ. rubr. rad. ſymph. maj. cond. &c. quorum plura alia Practicus in ſpecioſas formulas cogere docebit.

Quòd ſi ulcera inteſtina occupent, remediis ac curâ dyſenteriæ deſtinatâ ſubvenire negotium ſuadebit: Si levis tantùm fuerit abraſio citra ulceris aut ſaniei indicia, adſtringendo, roborando & conſolidando partes diviſas, indicationibus & officio ſatisfeceris; Secùs ubi ulceris ſordidi ac ſaniei ſigna adfuerint, ſuprà inculcatâ viâ incedes.

XXVIII.

Si evenerit ex ventriculi paralyſi, calefacientibus & roborantibus ſumptis, Theriac. veter. nuc. moſch. cond. acor. condit. admotisque Ol. nardin. menth. habitâ tamen priùs cauſæ ratione profligabitur, quæ pleniùs deſcribit *Gatenaria*, & ex ipſo *Foreſtus*. Si ex debilitate poſt longum morbum, ſolet tolli roborantibus, & modicè adſtringentibus, nim. ſyrupo analeptico Valerii Cordi, myva Cydon. confect. imperat. ſine vel cum roſis, aliisque ſuprà commemoratis, Emplaſtro ex mica panis toſti, vino, pulv. diarrhod. cum ligno aloës, cinam. confect.

XXIX.

Si à liberaliori ciborum uſu vel concoctu difficili, atque cacochymo vel relaxante nimis, vel præpoſtero eorum ordine oriatur, victu frugaliore, cibis euchymis & eupeptis, adſtringentibus atque ordinem ſervantibus auferatur, ſecùs in caſſum ſtomachum fatigabis. Si verò alimentum corrumpatur, quia hic detentum putreſcit, juvanda videtur facultas concoctrix, quippe quod propter caloris imbecillitatem alimentum quidem liquetur, non tamen concoquatur, unde coctione deſtitutum ad pravum neceſſariò mutatur. Quin potiùs retentrici vitiatæ ſuccurrendum dixerim, quòd cibos non integrè, ut debet, complectatur, unde calor etiamſi naturalis ſit, in alimentum perfectè agere nequit.

XXX.

Quòd ſi fluxus chyloſus urgeat, idque aut hepate non ſuſcipiente, aut ventriculo non pellente, quòd vel in propriâ eſſentiâ langueant, vel viæ ſint impeditæ, vel decenti vehiculo, potu nim. chylus non diluatur, vel corporis moles non exhauriatur, adeoque partes nutrimenti & excrementorum copiâ obrutæ, non trahant per continuam ſucceſſionem à jecore & inteſtinis, tunc etiam ſpecialis hujus affectûs cura inſtituenda eſt, quam tamen, utpote à cœliacæ cura alienam, aliò etiam ablegamus, ejusque ſpatium ac locum ſequenti aſſertorum miſcellaneorum, quæ ampliùs delectare, animumque movere valent, diſquiſitioni largimur, Audiat

——— ——— ——— *Vocatus Apollo*,

Ne leves crucient animos & corpora cauſæ.

ASSERT. MEDIC. PHILOSOPH. MISCELLAN.

I.

PEti Indorum ſive Tabaci vulgò per tubulum ſuffimigio attracti uſum non cuivis interdicimus naturæ, maximè ſi aliquot olei aniſi guttulæ admiſceantur: Nec tamen, quod inter pocula nuper aliis minùs probatum, excidit, ad cerebri ſubſtantiam immediatè deferri, etiamnum dixero.

II.

Non enim per foramina oſſis cuneiformis vel cribriformis penetrat, ſed quædam ejus portio per aſperam arteriam in pulmones deſcendit, quædam per Oeſophagum in ventriculum, quædam etiam non deſcenſa ex ore pellitur.

III.

Ejus fumus feliciter pro Enemate uſurpatur, ſi vel fiſtularum tantùm orificia latiora committantur, & per alterum inſuffletur.

IV.

Eundem, ſive pillulas ex eo paratas, in ore detentas, famem, ſitimque ad multum temporis ſpatium reprimere, poſt *Manardi* experientiam rationi reputo conſentaneum.

V.

Vapores in Corpore noſtro negare, foret contra experientiam, eos autem ex inferioribus partibus per cœcos ductus ac poros cerebrum petere, neque ſenſus, neque ratio docere videntur: Nihilominùs verum eſt illud *Hipp.* σύμπνοια μία, ξύρροια μία καὶ συμπάθεια πάντα.

VI.

Quòd pronuper oblatâ ſeſe occaſione dixiſſe, hominibus cornua creſcere poſſe, riſui habitum fuerit, nunc magnorum Virorum *Schenckii, Hildani, Bartolini*, &c. autoritate & experientiâ advocatis, audactiùs repeto, ſuperaddoque viris potiùs quàm mulieribus, maximè ſi à redundantibus natura ſegniter liberetur: His tamen ferro ſuccurrere licet, non aliis, quibuscum ludit *Ovvenus*,

Si quando ſacra jura tori violaverit uxor
Cur gerit immeritus Cornua Vir? caput eſt.

VII.

Manus motus progreſſivi ſi non inſtrumentum, ſaltem adjutamentum eſſe apud me certum eſt: Dextrâ autem qui utuntur, videntur fortiores, quàm qui lævâ; Hos tamen aſtutiâ compenſavit natura, unde & eorum aggreſſum magis reformidamus, quia modo naturæ inconſueto agunt, quo ipſo etiam pravos à *Scaligero exerc.* 265. vocari permittam.

VIII.

Multi à paſtu frigent: Errant tamen, qui à calore ad centrum revocato derivant, ex ſumptorum potiùs frigidorum uſu contingere dixerim.

IX. Somnum

IX.

Somnum meridianum improbant Medicorum plerique, quem tamen, donec natura desuescat nostra, non possumus non nos approbare.

X.

Neminem dubitare puto, humores in corporibus animalium pro diversâ Lunæ facie variare, atque crescente hâc crescere, decrescente verò decrescere: Hinc sciscitare, sîs, ampliùs, cur vulnera capitis in oppositione sint periculosiora? Causa in propatulo est.

XI.

Non item cur radii ejus concentrati impensè frigefaciant, aquamque congelent? Quodnam enim corpus sit, nondum perfectè constat, quamvis non dubitemus Terræ instar esse, cujus maculæ Telescopio mare, lucida pars Terram, abruptosque montes indicant.

XII.

Inhabitatam esse credere absurdum haud est: Incolas etiam aliquando Telescopio internoscere, non sibi præcelebris ingeniosorum Anglorum *Hookius* in sua *micrographia* diffidit: Imò nec aditum ad eos Posteris præcludit Dn. *de là Montagne*, qui, qualem fragiles truci commissę pelago rates dedêre ad antipodes viam, talem posteris parcam in depromendis arcanis Naturam ad Lunam paraturam, nullus dubitat.

XIII.

Sed frustrà alta petimus, Terram nondum novimus, in cortice omnes quotquot fuimus & sumus, hæremus, ambigimus, ad nucleum vix perventuri: Imò quod exactâ indagine consequutum videtur Terram moveri, Sacrorum custos credere vetat, non autem (de quo tamen adhuc sub judice lis est) gravissimam esse.

XIV.

Nec enim quòd Terraquei globi partes nitantur deorsùm, eam gravissimam dicere, facilè tamen inde nostris, ne decidant à Terra, securitatem polliceri possumus antipodibus.

XV.

Meritò autem, cùm Terra & Aqua eundem gravitatis gradum non obtineant, quærimus, an & idem gravitatis centrũ negari ipsis debeat? Non puto.

XVI.

Mirum est immensam ejus quoad sensus nostros molem, rationi non nisi punctum relinquere, quod ipsum indivisibile, quo scopo tam anxiè inter se dividere contendant homines, non satis mirari queo, sapit jam dudum palato apud *Boëtium* vanitati, parata medicina, frequenter repetita. Utinam multis!

XVII.

Non tamen æquè de nihilo eorum, quibus adstipulor, contentionem esse dixerim, qui perennantes naturæ leges suavissimâ harmoniâ, terræ, hominibusque constanter communicatâ, concludunt: Lugeo autem rationes solidas justæ hactenus causæ defuisse: Quid enim juvat ad solas recurrere experientias, si non respondeant omnes? Laudo proin, qui sæpiùs, donec Numinis, quòd automati mundani constantia in dubium vocare nunquam finit, benignitatem lumenque experiantur, suspiciunt: Nec enim non in dies nova & admiranda, vel in solis errantibus Telescopio adaperuit, quod procul dubio, cui vel altero solùm sæculo advenire licebit, multa dicet. Adeò parùm certi de sat tamen multis discedere cogimur!

XVIII.

Mirum est, quâ ratione Uterus per angustias ob onere novimestri liberetur: An ossa pubis & Ilei dislocari dixeris? Nil minùs credere fas est; aliud dicam, os Coccygis extrorsùm recedit: Quòd si beatæ operæ coadjutor expositus fueris, digitum ano immitte, ossisque dictum motum adjuva, sicque cum risu partum (quod credes experto qui narravit) feliciter provocabis.

XIX.

Quid autem statuam omni pariendi spe ob præternaturalem partium conformationem, totalemque angustiam, fœtum macrocephalicum aut quomodocunque malè prodeuntem, &c. cessante? Quidni anceps, ut binæ, sæpeq; plures salventur animæ, quàm nullum, cum *Celso* experiri remedium, cum Viris Celeberr. *Bauhino, Rousseto*, & aliis hysterotomiam pluribus exemplis (quam nec ratio dissuadet) feliciter celebratam tentare suaderem?

XX.

Hîc non consentio cum Italo quodam Medico celebri, qui fœtum emortuâ matre ab utero liberaturus, cultro liberiùs adacto, illicò per membranam uteri extenuatam fœtum ad mortem usque læsisse se narravit, quasi semper attenuaretur, Quin potiùs in statu naturali turgidulam indies crassescentem videre licet.

XXI.

Non video, quî *6. Aph.* 18. secundùm literam ac citra limitationem admitti possit, vulnera vesicæ, cerebri, cordis, septi transversi, intestinorum, ventriculi, jecoris, lethalia esse, cùm experientiæ & observationes apud *Gal. Schenck. Fabric.* & alios in dictis omnibus pugnent: Maximè vesicæ vulnus lithotomus salvat, ventriculum sauciatum, sanatumque celebrat apud *Dan. Beckerum cultrivorus Prussiacus*: Imò hic, ut & uterus, vix medicamentis, quàm tenui potiùs victu, ac quantùm licet, liquidorum abstinentiâ curabitur, quia spontè sese contrahunt ac coalescunt.

XXII.

Paracentesin maximum video habere usum ac necessitatem, tempore & loco convenienti administratam, Cur ergò meticulosus cum multis rejicerem? Alterum tamen præ altero, ex pluribus, quos vidi, operandi modis, adhibitâ ingeniosâ subtilissimi Leydensium *Sylvii* cannulâ, commendarem.

XXIII.

Parcior quidem, ob plurium impedimentorum concursum, in Nephrotomia ero, quæ tamen omnia peritam Chirurgi manum, necessitate exigente, inhibendi sufficere minimè videntur: Quid enim Naturæ facilis per abscessus sæpè data vestigia terere ambigeremus?

XXIV.

In Lithotomia vesicæ (quam audax Chirurgi manus prohibere amplius non sinit) quamvis minùs, tamen non nullum subesse periculum putamus, maximè si vesicæ fuerit adnatus calculus aut grandior, unde nimia partis dilatatio & exulceratio facienda, ex qua, contra multos, plùs pertimescerem mali, quàm verò commodi sperarem.

XXV.

Sic in pertinaci Ischuria non improbarem vesicæ colli per perinæum sectionem, quam instrumento ex cannula & scalpello composito commodissimè absolvi vidi: Quòd si verò calculus in meatu urinario subsistens, *Aquapendentis* specillo in cochlearis similitudinem excavato cedere recusaret,

pene

pene utrinque ligato, vel solis manibus, ne lapis retrocedat, firmiter prehenso, factaq; per lancettam ad latus incisione, digitis vel forcipulâ educatur.

XXVI.

In Phymoseos & Paraphymoseos chirurgia, ut & in circumcisione Judæorum, Turcarumque infibulatione, vix aliâ cautione, quàm ne frænum lædatur, opus esse dixero: Hinc enim, uti & si ex laborioso coitu rumpi contingat, periculosissima hæmorrhagia, quam non nisi solâ præputii colligaturâ sistere se potuisse Experientiss. Medico-Chirurgus aliquando nos docuit, succedit. Sæpè tamen solo in aquam frigidam descensu paraphymosin emendare licet.

XXVII.

Empyematis præsidium chirurgicum laudatissimum manebit, ni natura per vias solitas, quod Thoraci, suisque contentis partibus & quantitate & qualitate infensissimum atque periculosissimum advenit, evacuet. Perforatur autem tutissimè, cæteris paribus, latus sinistrum inter 5. & 6. costam veram, dorso scolopomachærii huic innixo, lentè & obliquè sursùm versùs posteriora in cavitatem usque penetrantis: Demùm cannula adaptatur, pro qua tamen, ne labia vulneris callosa reddantur, Galliarum chirurgi præstantissimi turundâ uti inculcârunt.

XXVIII.

Bronchotomia infra tertium vel quartum asperæ arteriæ cartilagineum circulum, in superioribus partibus, spiritu ex quavis causa ad suffocationis usque periculum intercepto, necessariò instituetur.

XXIX.

Non minùs Cranii perforatio Trepano sive modiolo instituta, certo tempore, casu & loco, necessaria, nec in tantum periculosa videtur: Quid si enim Cranium, ut in gummatibus gallicis sæpè solet, sit corruptum, si materia extravasata duram matrem lædat, si osficulum atque scobs ex ictu eandem pungat, aut cranium depressum cerebri motui obstet, &c. aliud quam periculosa symptomata, ipsamque tandem mortem præstolaberis, ni eâ utaris? Hinc eam & Galli & Itali in loco decliviori audacter aggrediuntur, cavendo tamen, quantùm licet, à suturis & temporibus: Quòd si scobs trepano resistens membranam feriret, vulnere illicò ampliato, prudens Chirurgus periculum præsentissimum evitabit.

XXX.

Herniæ carnosæ, quantumvis magnæ, facilis est curatio, si tantùm arteria sanguinem pro nutrimento adferens ligari possit.

XXXI.

Membrum in parte vel sanâ, vel emortuâ amputare, quodcunque libebit, licebit per me, quamvis in sana sæpiùs absolvi debere mihi videatur: Hæmorrhagiam autem post amputatum membrum forcipulâ arreptis & ligatis majoribus vasis, sistendi modus minùs tutus & commendatus erit. Nec sine ratione (quicquid dicant alii) articulum evitari existimaverim.

XXXII.

Arteriotomiam circumspectam non damnamus, unde si & ex imprudentia Chirurgus pro vena arteriam secuerit, ægro audacter constantiam imperabit, motum enim insequens lipothymia sufflaminabit, quam ligatura fortis cum quiete excipiens ampliùs confirmabit: Si impatiens ad lipothymiam usque fuerit, obtempera peritissimo *Sculteto*, qui ingeniosè

ac citra ſperandum periculum vulnus obligare docet peculiari inſtrumento, *Tab.* XVIII. depicto, omnibus Chirurgis apprimè neceſſario.

XXXIII.

Σκύβαλα, ſive excrementa duriora minùs fœtere conſtat, nec ratio deeſt, ſiquidem flatus ſulphurei jam maximam partem ſunt diſſipati, quos tamen, inſimul & fœtorem à ſulphure bilis, indeque natâ in inteſtinis fermentatione oriri probare præter alia videntur, fæces Ictericorum ob denegatam bilem albicantes ac quaſi inodoræ: Quæ nec chymicos nec pictores latent.

XXXIV.

Non video, cur, ſi inter lupum & ovem, non item inter famelicum hominem ac columbam aſſatam antipatheia nominetur.

XXXV.

Si nocturna tibi noceat potatio vini;
Hoc tu manè bibas iterùm & fuerit medicina.

XXXVI.

Non ſatis mirari poſſum omnem ventriculi concoctionem, quod videtur multis ſolo perfici calore debere: Aliud requiritur, fermentum nim. ſpirituoſum in ventriculo generatum, rugisque impactum, non per vaſa brevia, quod cœcis placet, adductum.

XXXVII.

Potus aliquam portionem per aſperam (quod *Hipp. lib. de corde* placuit) arteriam ad Pulmones deferri, Medicus credere debet.

XXXVIII.

Clyſteres ad ventriculum delatos & per vomitum rejectos, atteſtantibus *Gal. l. 6. de cauſ. ſympt. & Lang.* 1 *Epiſt.* 80. concedimus in ſtatu præternaturali, non verò in naturali, quo à magno *Bauhino* inventam ad coli principium valvulam obſtare credimus: Nihilominùs tamen clyſteribus, alimentalibus vulgò dictis, nutriendi vim ſupereſſe perſuaſi ſumus.

XXXIX.

Cicutam purgare ſcribit elaboratiſſimus Poëta *Horatius l. 2. epiſt.* 2. ſuo tamen modo intelligit:

—— Paupertas impulit audax
Ut verſus facerem, ſed quod non deſit habentem
Quæ poterunt unquam ſatis expurgare cicutæ?
Ni meliùs dormire putem, quàm ſcribere verſus.

XL.

Venenum illud Athenienſium publicum, cicutâ temperatum, quo *Socrates*, *Phocion*, pluresq; alii ſublati ſunt, à cicuta noſtra haud mortiferâ longè abeſt.

XLI.

Non dubites vinum generoſum cicutam reddere lethalem, illudque idem hujus alexipharmacum eſſe.

XLII.

Emplaſtrum è cicutæ ſucco & ammoniaco, inſignem emolliendi Jecoris, Lienis vim obtinere conſtat ex *Hartmanno, Heurnio, Sennerto*, Quis ergò cicutæ emolliendi dictam vim denegaret?

XLIII. *Per-*

XLIII.

Perfecit poto Mithridates sæpè veneno
Toxica ne possent sæva nocere sibi.

Perficiunt & hodiè, ut vis eorum ad tempus intercepta, præter exspectationem tunc interimat, quod facilè crediderim, non item quòd certo & exquisito temporis articulo definiri eorum actuatio possit, quicquid etiam vir incomparabilis doctrinæ *Hermolaus Barbarus* de Aconiti radice taliter præparatâ tradat, ut ad annum, mensem, diemque certum interitum adferat.

XLIV.

Animalia veneno nutrita in alimentum humanum cedere posse nullus dubito: Hæreo tamen an veneno enecta, multò minùs contagio perempta, absque contagionis periculo assumi queant?

XLV.

Egregia est *Ausonii l. 20. Epigrammat.* narratio:

Toxica zelotypo dedit uxor mœcha marito,
Nec satis ad mortem credidit esse datum:
Miscuit argenti lethalia pondera vivi,
Cogeret ut celerem vis geminata necem:
Dividat hæc si quis, faciunt discreta venenum,
Antidotum sumet, qui sociata bibet.
Ergò inter sese dùm noxia pocula certant
Cessit lethalis noxa salutiferæ.
Protinus & vacuos alvi petiêre recessus,
Lubrica dejectis, qua via nota, cibis.
Quàm pia cura Deûm! Prodest crudelior uxor,
Et cùm fata volunt, bina venena necant!

Nunquam tamen ego simile in optatum eventum antidotum propinarem.

XLVI.

Acutos sensus habuisse oportet abstrusum, sed multiscium *Helmontium*, qui ex lactis asinini gustu dignoscere potuit, an asina fuerit pexa isto mane, nec ne: Quod vix *Nomadibus* galactopotis, aut *Philino*, totâ vitâ non alio potu cibóve saturato, internoscere licuisset: Non tamen ratione is planè caret.

XLVII.

Nec qui frequentem Pilorum decurtationem acuendo visui conferre putant, eosdemque in declinatione morbi rescindi vetant, longè errare video.

XLVIII.

An opium Narcoticum dixerim propter frigus? Nil minùs.

XLIX.

Setaceum frigidum non possum non longè præferre ignito, non obstante plurimorum chirurgorum contrariâ sententiâ.

L.

Mirum videri alicui posset, quâ ratione famosus ille hydropota, tam splendidè mundo illuserit copioso & variè intincto, pro lubitu reddito, potu! Non mihi.

LI.

Ros solis, Rorella *Cordi*, utraque major & minor, tusa unà cum salis nitri grumis admota ob vim causticam cutim rumpit: Nec tamen non intùs assumpta phthisicos splendidè juvat: *Galenus*, qui & vesicantia, ut allium, &c. extrà urere, intùs vero non nocere didicit, hos effectus non miratur.

LII.

Novum non est, ignotum tamen, cur cantharides solam vesicam, non autem & reliquas partes membranosas lædant. An ab urinæ acrimonia vis earum acuitur?

LIII.

Nondum hactenus persuadere mihi potui, ductus cholidochum & Pancreaticum, chylum vehere, vel mesaraicas venas rubras, solum sanguinem; Neque tamen chyli aliquam portionem, per lacteas thoracicas, venæ axillari, & hinc dextro cordis ventriculo infundi, contra experientiam, mihi sæpiùs in cadaveribus vivisque factam, negabo.

LIV.

Planè credo confudisse *Neotericos* lacteas venas cum lymphæ ductibus, imò ipsam lympham cum chylo, adeò non certus, à diversorum diversis circa hanc materiam scriptis, quis recedit?

LV.

Quid sentiendum de Parodoxo *Bilsii*, nullas venas lacteas, sed tantùm roriferas admittentis? ac contentum in iis rorem à centro ad circumferentiam tendere credentis, scil. ut partes singulas irroratione ac fermentatione suâ, nutritioni aptas reddat? Judico circa utrumque eum falli & experientiâ convinci posse.

LVI.

Quemadmodum in organo musico pneumatico, neque fistularum concinna compages, neque aër in fistulis contentus, neque manus epistomiorum manubria pulsans, ad modulamen repræsentandum sufficit, sed insuper requiritur aëris per folles in fistulas adactio; Sic ad perficiendum motum animalem, musculum concinnè fabricatum, vitali spiritu perfusum, animâque instructum esse aliquid est, non tamen satis, quamdiu spiritus animalis à cerebro, tanquam folle, per nervos non influit, musculosque vigorat.

LVII.

Major pulsûs, quàm respirationis est necessitas, hinc in ovo jam primâ ab incubatu die conspicitur punctum saliens, & embryo statim pulsat, non statim respirat.

LVIII.

Musculi Crotaphites & Masseter inter masticandum sensibilem acquirunt duritiem, circaque medium intumescunt; Non quòd spiritus animalis copiosè immissus musculos expandat, sed quòd horum fibræ in sese contrahantur & corrugentur.

LIX.

Quid de Pulmonum in quibusdam animalibus usu judicandum, stantibus *Harvei* observationibus? An si in pennatis immisso Tracheæ stylo, transitus è pulmonibus in patentes abdominis cavitates reperio: si aër in eorum pulmones follium operâ inspiratus, cum impetu ad inferiora descendit, ipsos verum respirationis in iis organum esse negandum est? Non puto.

LX. An-

LX.

Annon, si videmus pisces ac serpentes, aërem in amplis abdominis vesicis servare reconditum; si in ranis ac bufonibus, eundem observamus in numerosissimas vesiculas absorberi, æstate maximè cùm & magis respirant & hinc magis tument, credendum erit, inspiratum aërem ampliùs quid corpori præstare, quàm caloris temperationem ac ventilationem? Non negamus.

LXI.

Suspicatur *Harveus* humanos pulmones naturaliter patulos habere meatus in thoracis cavitatem penetrantes, indeque in vulneribus pectoris, illæsis quoque pulmonibus, aërem per vulnus foràs erumpere, liquoresque, imò crassiora corpora, in thoracis cavitatem injecta, cum sputo rejici, inde etiam fieri, ut Pleuriticorum extravenatus sanguis, & quandoque Empyicorum pus illac excernantur: Mirum ergò hucusque apertos ejusmodi meatus conspici non potuisse.

LXII.

Non ideò, quòd in iis, qui fame aut tabe perierunt, sanguinem adhuc conspicari licet, sequitur eum quid aliud corpori, quàm nutritionem præstare; Neque credam nimis volatilem esse vel perfectum, quàm ut in substantiam partium converti possit.

LXIII.

Etsi in paralysi partes affectæ tandem emacientur, malè tamen hinc infertur, humorem nutritium ex cerebro per nervos in partes delabi; Neque hoc mihi vel nervorum vulnera, vel scrophularum generatio, vel plantarum per nervosas suas fibras nutritio persuadent.

LXIV.

Cucurbitulis affixis in aëre frigido, contra ac vulgò fit, attractio semper erit major, aër enim in illis, priùs ab igne rarefactus, magis se contrahet, minoremque locum occupabit, qui ut repleatur, fortiori opus est attractione.

LXV.

Cuncta animalia quodammodò ex ovo nascuntur: Ovum est conceptus foris expositus, Conceptus est ovum intùs manens, cætera conveniunt.

LXVI.

Thermoscopii usus ad rem medicam extendi potest, urinam namque è vesica educet, si ipsum vitrum priùs calefactum, & debitè applicatum, refrigeretur ab aëre, nive, glacie, &c.

LXVII.

Calculi & arenulæ ab avibus devoratæ, dentium vicem supplere videntur: Edulia enim ingesta in ventriculo primo, i.e. ingluvie, saltem madefiunt, ac emollita in alterum transmittuntur; Qui cùm ex duobus crassissimis musculis compactus, pluribusque angulosis lapidibus ac arenulis refertus sit, hoc modo ceu duobus lapidibus molaribus, binis invicem cardinibus colligatis, molit cibaria ac pinsit.

LXVIII.

Helmontius ad eum modum calculum in nobis generari contendit, ad quem ex mistis vini ac urinæ spiritibus volatilibus coagulatio consequitur. Quod experimentum, licèt à multis in cassum tentatum fuerit, procedit tamen, modò spiritus adhibendi sufficienter exaltati fuerint.

LXIX.

Non video, quî calculi generatio ſoli vel calori, vel frigori adſcribi poſſit: Credibile eſt ſpiritum acido-auſterum ſubeſſe, qui ſal lixivioſum prehendens, unà cum eo in cryſtallos abit, quibus in cryſtalliſatione partes limoſæ, terreſtres, pituitoſæ & oleoſæ, quæ aquæ ingreſſum prohibent, diſſolutionemque negant, junguntur: Hinc calculus.

LXX.

Non planè de nihilo conatus eorum videtur, qui varii generis accommodatos liquores per novam clyſmaticam inventam vaſis infundunt.

LXXI.

Viva animalia in liquore (ut vino) ſuffocata, aut viva deſtillata, deſe fundunt vivificum ſpiritum, ſummè volatilem & efficacem.

LXXII.

Arboris peruvianæ, incolis Gannanaperide dictæ, cortex, ex quo fit pulvis china chinæ vulgò audiens, non plùs præſtat ad tollendam quartanam, vel inhibendos paroxyſmos, quàm gentiana, vel ſalia tamaricis, geniſtæ, &c.

LXXIII.

Expertus eſt *Harveus* à ſuffocationis aſthmaticæ periculo, affixis cucurbitis, & multâ ſubitò gelidâ affusâ, plures fuiſſe liberatos. Rationem non addit, addere tamen ex ſuis principiis potuiſſet.

LXXIV.

Aqua limpida, in quà parva mercurii quantitas ad tempus aliquod macerata fuit, etſi nullum certum ſaporem vel aliam qualitatem exinde acquirat, vi tamen eximiâ valet vermes in corporibus humanis necandi. Adeò parùm fidum eſt ſapori, colori, &c. ſemper fidere.

LXXV.

Si in lipothymia hæmorrhagia cohibetur, fit quia languidè pulſant arteriæ, & quò hæ citiùs ac fortiùs pulſant, eò citiùs ſanguis in hæmorrhagia vacuatur.

LXXVI.

Saccharum Veterum & Dioſcoridis aliud eſt à noſtro & hodierno, ac præter rationem faciunt, qui unicam duntaxat arundinum ſaccharinarum ſpeciem ſupponunt.

LXXVII.

Manna noſtra eſt roſcidus liquor dulcis, ex aëre deciduus, qui non ſuiipſius facultate, ſed foliorum vel arborum, in quibus delapſa recumbit, concreſcit; Galeno cognitam fuiſſe nullus dubito.

LXXVIII.

Perpendens plurima eſſe, quæ miſta ſe invicem deſtruunt (exemplo ſint acida & ſalſa, &c.) animum ſubit, quàm malè faciant, qui indiſcriminatim in compoſitione medicamentorum quælibet quibuslibet miſcent, ac ſpecioſâ formularum prolixitate cum ægri incommodo videri volunt.

LXXIX.

Abs re mihi facere videntur Chymici, quòd in virtutum extractione, tam anxiè de ſimplicis colore ſolliciti ſint: Ego neque in coralliorum, neque in aliis tincturis ad eum reſpicerem.

LXXX.

Nullius metalli verum Sal extrahitur, nec ullum metallum in veros redigitur cineres.

LXXXI. Men-

LXXXI.

Menstruum, quod jam satis virium imbibit ex rebus infusis, cætera relinquit intacta, ut adeò frustrà sint, qui tantâ quantitate medicamenta ipsi injiciunt.

LXXXII.

Hinc incidit, annon infusio emetica officinalis (quæ ℞. croc. metallor. ʒij. vini generos. ℥iiijß. F. levis ebull: cujus filtratæ dosis mediocris ʒj.) croci admitteret unciam unam, eâdem tamen manente vini quantitate, sic ut vis emetica (quod placet multis) haud intenderetur? Experientiæ relinquo.

LXXXIII.

Lentiscus non tantùm in Chio insula provenit, nec ibi duntaxat mastichen fundit, sed & in Helvetia, Italia, Provincia, &c.

LXXXIV.

Caphura non est bituminis genus, sed arboris cujusdam Indicæ lachryma resinosa: An frigida sit, an calida, disquiritur? Subscribo calori.

LXXXV.

Vulgatum, sed falsum est, ac contra experientiam,

Castrat per nares, Camphora odore mares.

LXXXVI.

Pæoniam saltem gestatam Epilepsiæ quandoque profuisse ac prodesse fieri potest; Non enim amuleta in totum rejicio.

LXXXVII.

Sed quo censu mihi veniat narratio *Eusebii hist. Eccles. l.7.* à Sancta Nicena secunda Synodo approbata, quòd Cæsaræ Philippi mulier à sanguinis profluvio, solo vestis Christi tactu liberata, monumentum æneum erexerit, juxta cujus pedes ignotum herbæ genus ad fimbriam usque excrescat, omnibus morborum varietatibus proficuum? An Panacæam dixero, nec ne?

LXXXVIII.

Magnes pulverisatus amisit penè vires ferrum trahendi, adeoque inutiliter cum aliis ingredientibus in Emplastri formam miscetur.

LXXXIX.

Cur una planta aliâ est excelsior aut humilior? An quia aër suo elatere alimentum premendo per hujus plantæ angustiores poros altiùs ascendere facit, in illa contrà? Minimè videtur.

XC.

Observatum est, quosdam ex Salviæ esu repentè mortuos concidisse: An causa rejicienda in vermiculos, ipsius superficiei adhærentes, nec nisi microscopio observabiles? Non opus est.

XCI.

Eximium est Divinæ Providentiæ argumentum, quòd Guaiaci arbores & cochleariæ plantam tam copiosè provenire jusserit iis in locis, in quibus Venerea Lues & Scorbutus populariter grassantur.

XCII.

Cur Feles adeò delectentur Valerianâ? An quòd visui conducat, ratio placet?

XCIII.

Videtur operæ pretium esse, si in degenerationem plantarum magis inquireremus, ut quomodò ex diverso semine diversa interdum planta proveniat, ex sisymbrio mentha, ex tritico lolium, ex hordeo avena, ex ocymo

ſerpillum, ex rapo raphanus, ex zea triticum, ex apio ſcoroditis, i. e. alliaria, &c.

XCIV.

Audirem lubens de Vino Thraciæ maroneo antiquiſſimo, quod laudant *Homerus*, *Plinius*, ac multo tempore poſt *Mutianus* ter Coſ. quorum ille vicies tanto addito aquæ, & *Hipp. 3. de morb.* vicies quinquies Thaſium miſcendum fuiſſe ſcribunt, Cur hodie non ferat tantum? Nec enim Terræ, vitisque vigor ſenio exhauſtus eſt.

XCV.

Notatu dignum eſt, quòd ſcribunt in arthritide vaga ſcorbutica, vivos lumbricos terreſtres dolentibus partibus impoſitos, mox langueſcere & emori.

XCVI.

Pluribus unicâ die naturali per inſenſilem tranſpirationem tantum evacuatur, quantum per alvum quindecim dierum curſu, aphoriſmus eſt *Sanctorii*, cui tamen nondum aſſentior.

XCVII.

Orientalis balſami planta, quæ antiquitùs in ſoliùs Judææ, vel in hujus & Ægypti hortis regiis proveniſſe, ſed malè ſcribitur, etiamnum reperitur, ejusque liquor in Europam defertur.

XCVIII.

Cur aloës tam parva quantitas, v. g. ℥ ij aut ℥ijß duabus vini albi menſuris injecta, toti vino vim ſuam catharticam communicat, ita ut unicus ejus hauſtus non minùs purget, ac aloës ℥ß. in ſubſtantia? An cauſa adſcribenda vini leptomeriæ?

XCIX.

Audirem libenter, quæ ſit radix Baraas, cujus *Joſephus l. 7. de bell. jud. c. 23.* mentionem facit: An Nyctilops, quæ ſimili modo ſplendet? ſed de ejus collectione & efficacia quid judicandum? Ponderabimus.

C.

Cùm in omnibus fœtibus, etiam humano, paulò ante partum oris rictus ſine labiis & buccis ad utramque aurem protenſus cernatur, ac in hominis formatione ſuperiora labra tardiſſimè coäleſcant, ſuſpicari liceat, annon ob hanc cauſam multi naſcantur, leporina, ut vocant, labia habentes?

CI.

Color in utero pulmonibus rubicundior eſt, quàm iis qui aërem aliquando inſpirârunt, quòd pulmones ab eo dilatati albedinem induant. Eoque indicio internoveris, materné vivum an mortuum fœtum pepererit? Illicò enim ab inſpirato aëre mutatur pulmonum color, qui etiam poſt repentina fata idem manet.

CII.

Pars quæ duos gemellos adnatos invicem connectit, animata eſt; ſed quæritur, cujusnam anima, an hujus, an illius, an utriusque; cùm moveatur nutu utriusque, ac uterque infans doleat, eâ parte vulneratâ.

CIII.

Veriſimile eſt poſſe quandoque radicale humidum, ita vitali in homine flammulæ contemperari à natura, ut diu citra externi alimenti acceſſum hanc ipſam ſuſtentare valeat, planè ut hirundines, cochleæ, muſcæ, &c. hyeme, licèt alimentum non accedat, vivere non deſinunt: Exemplo ſint &

Lampades

Lampades à Romanis instructæ, quas in Tulliolæ, Olybii, &c. sepulchris per aliquot sæcula arsisse evincit *Licetus*, *de Lucernis antiq. recond.* p. m. 240. 268. &c.

CIV.

Credit Subtilissimus *Dn. Sylvius* calidum innatum præter effervescentem sanguinem nil esse: Effervescere verò eum, dùm confunditur ascendens sanguis bile amarâ imbutus, cum descendente lymphâ subacidâ referto. Multa verò faciunt, quò minùs huic dogmati subscribere queam.

CV.

Aphtharum causa an sunt acres halitus ex intestino tenui exurgentes, ut opinatur *Dn. Sylvius*? an potiùs ipsa saliva acris acidavé per ductus suos, porosvé palati ad os delata?

CVI.

Quamvis Cor fibras omnis generis habeat, nolim tamen id musculum proprie dictum vocare, sicque ex motu ejus naturali, quem mutare non possumus, animalem facere.

CVII.

Cùm non potuerit *Harveus*, toto primo à coitu mense, semini quid simile in utero observare, ad conceptum formandum corpulentiâ seminis opus esse negavit; credíditque substantiam uteri ad concipiendum parati, constitutioni cerebri persimilem, functionum quoque in utrisque similitudinem arguere, sic ut utrumque concipiat per species immateriales: In hoc tantùm esse differentiam, quòd conceptus in utero sit naturalis, in cerebro animalis: sed lubrico nimis fundamento hoc paradoxũ inniti mihi videtur.

CVIII.

Salivam è peculiaribus vasis stillare à *Warthono & Stenone* sufficienter demonstratum est.

CIX.

Horum autem ductuum sub lingua latentium extremitates, mucosâ salivâ oppletæ, quandoque vera esse possunt ranulæ causa.

CX.

Causa partûs non tam est alimenti penuria, nec fœtûs pondus, nec humores, quibus fœtus innatat, neque quod uterus ampliùs dilatari nequeat, quàm inter alia fœtûs potissimùm respiratio.

CXI.

Quid mirum est ex nimia unius anni fertilitate infœcunda fieri altero anno mala, si ex nimia fœtura emoriuntur etiam arbores?

CXII.

Ova dùm pariuntur, molli putamine emergere, emergentia protinùs indurescere, locus & mens est *Arist. l. 6. de hist. anim. & 3. de eorundem generat.* non nostra.

CXIII.

Salem oleo non liquescere *Idem l. 4. meteor.* prodidit, Cui adstipulamur, quamvis multi etiam calefacto oleo resolvi scribant.

CXIV.

Locus est *Theophrasti l. 8. de Plant. & 4. de Plant. caus.* cui non assentior, frumenta altero capite radices fundere, altero autem germina: In leguminibus verò eandem partem germina & radices edere. Contrarium tamen

nobis ostendit Triticum, quod simul & ex eodem loco germen triangulis formâ pellit pro folio & radice: Hanc tamen citiùs perfici dico.

CXV.

Planta omnis, quæ non spontè, sed ex alia nascitur, aut provenit semine, aut radice, aut propagine, aut avulso vel ramo, vel surculo, aut caudice ipso; Ex folio autem, non nisi Opuntia vocata inter herbas, inter frutices Tune, inter arbores Palma, quantùm constat, nasci consueverunt.

CXVI.

Sanguinem cervi fibris carere, neque coägulari legimus apud *Arist. l. 4. meteor. 3. de hist. anim. & 2. de part. anim.* Contrariam tamen experientiam audivimus, ambigimus ergo.

CXVII.

Turpe est Doctori, cùm culpa redarguit ipsum: Turpe *Aulo Gellio* antiquarum lectionum magistro, quòd Medicum Atheniensem, venam pro arteria nominantem, cum *Tauro Philosopho* irrisione dignum censeret: Venæ enim nomine promiscuè & Venæ & Arteriæ ab antiquis sunt indigitatæ.

CXVIII.

Verminantibus sive utero gerentibus habitâ ratione constitutionis, virium, & quantitatis, sanguinem mittere, non video rationes ullo tempore dissuadere.

CXIX.

Nitrum, veluti Terræ Spiritus, variis indiciis frigidissimum, insignes in Praxi usus præbet, cujus veritatem in salacitate nimia expertus Excell. *Dn. Guldentlee cas. medic. 52.*

CXX.

Serum microcosmi nutrire, experientia dictat.

CXXI.

An & serum sive aqua in macrocosmo nutrit? Quidni?

CXXII.

Sed de frigiditate Nitri cùm diximus modò, inquiramus paulò exactiùs in frigidi naturam, quæ hactenus ferè sepulta jacuisse videtur, An consistit in aciditate, quod multis ingeniosis videtur?

CXXIII.

Sed & lubens de caloris natura aliquid audirem; An τὸ συγκεῖνον τὸ ὁμογενῆ quærentibus & curiosis satisfacere potest? Non videtur.

CXXIV.

Ne ἀσύμβολος discedam, quid videatur aliis, dicam, Naturam nimir. Ignis consistere in particulis oleosis atque sulphureis, secundùm minima valdè commotis & expansis, quæ particulæ commotæ in alias irruentes, & quæ ab ipsis moveri aptæ sunt, simul moveantur. Ex iis est medicamentis, quæ si non prosint, non nocent saltem.

CXXV.

Semen coriandri & venenum & alexipharmacum esse produnt: Ego ejus unicam esse naturam ad aromatis & alexipharmaci prærogativas proximè accedentem dicere non vereor.

CXXVI.

Aloës sive foris, sive intùs adhibita, adstringendi vim, roborandique habet: Proin maleficium, quod ei impinxêre *Arabes* per se venas aperiendi rejicimus. Quamvis per accidens hæmorrhagiam facere non negemus.

CXXVII. Hel-

CXXVII.

Helleborum, utut ſit unius naturæ, ſapientes tamen & inſipientes reddere homines, abſurdum non eſt: Miras autem prolongandæ ætati vires foliis hellebori nigri decenter paratis adſcribit *Paracelſus*, quippe à quorum jugi uſu, ſenium veluti Luna ad mortis uſque tempus decreſcat.

CXXVIII.

Quantæ Verbenacæ inſint vires, docent *Gal. Aët. Dioſc. Fuchſ.* prolixiùs *Schröderus*: Hinc & Hierabotane ſalutata, quòd olim Feciales in ſacris legationibus illâ coronabantur, vel, ut *Dioſc.* inquit, quòd in expiationibus ſuſpenſa & alligata mirè utilis ſit, &c. Retulit tamen & mihi alium ejus uſum *Vir quidam illuſtris*, nimir. ſi contuſa, atque cum farina fabarum cataplaſmatis in formam ſubacta, intra duo linteola in pleureſi parti affectæ impo, natur, ſanguinem extravenatum diſcutere, elicere, linteolaque intingere quod ſæpiùs ab ipſo cum ſucceſſu expertum curioſo imitandum relinquimus.

CXXIX.

Foliorum Sennæ uſum hactenus cum ſucceſſu probatum vidi & audivi. Unicum tamen ſcrupulum movit *Vir quidam prænobilis*, quòd canibus pluribus propinata, gangrænâſſe inteſtina obſervaverit. Annon ergò ſedulâ correctione, & corporum diſcriminatione in illorùm exhibitione opus eſſe videri poſſit?

CXXX.

Multa animalia venenoſa proprio mederi veneno conſtat, viperam contuſam ſuo morſui, ſcorpionem, ſi diſſectus applicetur, ſuo ictui: Cauſam cæcæ cuidam naturæ antipathiæ adſcribit *Dioſc. & Euſtach. Rudius*; Nobis probabilius videtur contrarium.

CXXXI.

Galbulam avem ſolo intuitu Ictericum ſanare, ſcribunt *Plinius, Ælianus, Aldrovandus*, hinc apud *Urſinum* de ſeſe ipſa ſic loquitur:

Si curo intuitu ſuffuſos felle, quid inde?
Si me pro pretio mors violenta manet.

Sciſcitanti hujus effectûs aliquam reddere rationem, non videtur planè impoſſibile.

CXXXII.

In Phlebotomia ex ſanguinis emiſſi aſpectu adſtantes (frequentiùs ipſummet, qui vulnus patitur) animi deliquio corripi, non inſolitum. An propter ſympathiam læſionis ſpecies animæ communicatur, hæcque ex triſtitia & odio, ſeſe cum ſanguine ad ſecuriorem ſui arcem, nempe Cor (quod inde obruitur) recipit?

CXXXIII.

Salamandra in ignis flamma vivens, non animal, ſed Lini quoddam genus asbeſtinum dictum eſt, quod igni mandatum nec abſumitur, nec detrimentum patitur: illud tamen ob intenſam ſuam frigiditatem aliquandiu calori reſiſtere novimus.

CXXXIV.

Vipera tardiſſimum animal non nocere cupit, niſi ad iram commoveatur, neque etiam nocere poteſt, ſi priores duo canini dentes ſint ablati: His enim vulnere inflicto, binæ iisdem adnatæ veſiculæ, venenum in læſum corpus evomunt.

CXXXV.

Non video, quidnam commodi Margaritæ (præprimis præparatæ, minùs utiles) tùm Medico, tùm Pharmacopœo, tùm maximè corpori ac animæ deficienti adferre queant: Potiùs ad odoriferam confect. Alkermes, aut similia recurrerem, quæ plùs prodesse poterunt.

CXXXVI.

Odores enim spiritus reficere constat: Nescio an & corpora solidiora restaurare rectè crediderit *Manardus*? Quamvis *Democritum* anno ætatis suæ 109. solo panis odore vitam triduo conservâsse scribant. An autem *Astomorum* gens ex solo odore vivat, noverit & conviva sit *Plinius*, non ego.

CXXXVII.

Cur mirum videatur, hominem stando plùs laborare ac defatigari, quàm deambulando, cùm ibi soli musculi extendentes, hîc plures in mutuam coëant operam?

CXXXVIII.

Neque etiam nulla ratio subest, cur accumbentes difficiliùs transglutire atque spirare queamus, quàm recti.

CXXXIX.

Zingiber, quamvis primo gustu linguam urat, tantum abest, ut sitim excitet, quin potiùs sedat.

CXL.

Plinius l. 7. c. 17. attestatur experientia, corpora virorum, ubi submersa sunt, supinâ atque erectâ in cœlum facie, mulierum verò pronâ vultuque in fundum inclinato, fluitare. An pudori Sexûs naturam consuluisse credatur? An potiùs venter pondere gravatus, deorsùm feratur?

CXLI.

Abdominis musculos ad respirationem conferre, nondum video dissentire ullam experientiam.

CXLII.

Si Peritonæum viscera efformare posse, nil absurdi dixero: Quid enim aliud est mesenterium, quàm peritonæum duplicatum, vasis ac glandulis compactum?

CXLIII.

Egregiè cujusvis generis liquores, ne vel vapescant, vel corrumpantur, superinfuso oleo præservari solent: Nec enim ratio latet.

CXLIV.

Facilè respondere liceret *Martiali*,

Claudere quæ cœnas Lactuca solebat avorum,
Dic mihi, cur nostras inchoat illa dapes?

CXLV.

Singularis quædam vis aurium ceruminibus est concessa, quâ stylus iis intinctus, sanguinis V. S. excepti, spumosas vesiculas supernatantes dissipat. Nec mirum, si naturam eorum, quæ in calido & sicco consistit, agnoveris.

CXLVI.

Hinc supremus, quem Κυψελις corpori præstare potest, usus esse videtur illibata sonorum extrinsecùs venientium per aurem ad auditorium nervum translatio, quatenùs nim. tum extrinsecùs adventantem aërem depurat, tum internos quosvis sonos, qui externos perturbare valent, removet: Neque huic assertioni obstat 4. *aph.* 28.

CXLVII. Non

CXLVII.

Non insulsè *Plinius l.* 28. c. 4. scribit, morsus hominis inter asperrimos quoque (morbos intellige) numeratur: Medentur sordes ex auribus, ac ne quis miretur, etiam scorpionum ictibus, serpentiumque statim impositæ meliùs è percussi auribus prosunt, ita & reduvias sanari, &c. Non insulsè inquam, si vi discussoriâ hoc agere intelligat.

CXLVIII.

Neque etiam alium in intestinis usum, ac Κυψελὶς in auribus cystidos exoneratum onus præstare arbitramur, flatuum videl. discussionem & flatulentæ ibi restagnantis materiæ tenuationem (illibato tamen ad egestionem subsidio) ne jugi fatigata divulsione intestina ἀζυγίαν contrahant, ac indesinenti molestiâ corpus infestetur: Hinc rectè, si explicare sese patiatur, *Hipp.5. aph.72.* ait: Icterici non admodùm flatulenti sunt.

CXLIX.

Quòd naribus non possimus inspirare liquorem, aliudvé, nisi simul labrum superius elevemus, accidere ob musculum, utrique parti communem, credibile est.

CL.

Scribit *Hippocrates* lethalem esse maxillæ inferioris luxationem ob musculi temporalis, nisi statim reponatur, distensionem: imò & multi alii hoc ipso læso vel contuso præsentissimum convulsionis, mortisque periculum extimescunt: Constat tamen experientiâ citra periculum dissecari posse.

CLI.

Dubito an nervi recurrentes sive vocales dicti præcisi vocem lædant, vel potiùs dico, planè tollant, siquidem hic ramus, antequam recurrentem efformet, priùs aliquot ramulos ad linguam & laryngem pro vocis articulatione mittit.

CLII.

Processus styliformes malè quis vocaverit apophyses, quin potiùs epiphyses, dixerim.

CLIII.

Urticas aculeis poris cutis infixis urere docet Recentiorum microscopium, hinc crediderim *Schrödero*, prurigini ab iis introductæ oleum olivarum mederi.

CLIV.

Nec miror muscas trabibus ac lacunaribus suspensas haud decidere, siquidem pedibus suis multipliciter aculeatis, ubique poros, quibus inhæreant, offendunt.

CLV.

Muscas in agro Pisano volitare narravit aliquando Ruræmondano-Sycamber vir celeberrimus, Florentiis anatomica publicè agens, quæ attritæ suavissimum moschi odorem ferant: Credibile autem est, quod nuper diarium Doctorum sancivit, hunc eas spirare odorem, quòd suaveolentibus citriorum, arantiorum, &c. floribus vescantur.

CLVI.

Nam & ambram quidam docuerunt esse stercus quarundam avium, odoriferis herbis educatarum, in scopulis agglutinatum: Quamvis & alii balenæ semen, alii fungi cujusdam marini speciem, è fundo, ubi nascitur, agitatione

ratione maris erutam, alii bituminis quoddam genus, è maris alveo procellarum vi in littus ejectum, existimaverint.

CLVII.

Hæc pura & solitaria ferè est ignava, nec quicquam spirat, nisi pharmacopæi solertiâ, aquâ rosarum & modico sacchari soluta & confusa, ut aliis incorporari possit, suscitetur: Quo eodem ferè modo moscho (quod ex animalis Capreæ non absimilis, dùm libidine turget, vomicâ abdomini adnatâ, pressâ, ruptâque colligimus) aquâ rosarum mollito & vini laticis (qui aqua vitis vulgò appellatur) momento ex arte perfuso, fragrantissimus odor conciliatur, quem si *olfacies, Deos rogabis, Totum ut te faciant, Fabulle, nasum:* Hinc factum forsan, quòd veteres pretiosa hæc, unà cum Zibetho neglexerint, non quòd (ut sibi persuadent multi) in rerum universitate haud fuerint, sed quòd artem miscendi nondum calluerint: Semper enim usus, res, ætas, aliquid apportant novi.

CLVIII.

Zibethum felis est munusculum, quod duo ejus inter anum & vulvam, castaneæ & figuræ & magnitudinis pressa tubercula subalbum, crassiusculum ac pingue, in nigrum jamjam vergescens, fundunt, gravi potiùs, quàm suavi odore nares feriens: Ex iis tamen est, quæ ut *Theophrastus* habet, affricata in posterum diem meliùs olent, vel lotâ illitâ manu, atque etiam longè dissita suaviùs spirant: Cujus causa sunt acutissimi illi spiritus, vehemensque ejus qualitas, quæ vel tempore, vel loci intervallo, vel aquâ demùm abstergente opus habet, ut ad gratam mediocritatem retundantur ac temperentur.

CLIX.

Hic miror *Arist. & Theophrast.* animum induxisse suum, longè dissitum Zibethum suaviùs olere, quòd odor ad locum remotiorem purus, sincerusque deferatur, quasi verò fœdas loci intervallo exueret partes: Arguerem enim in contrarium, quòd, quia putrescentis canis odor propè ignavus ac ferè nullus, distans verò gravissimus ac teterrimus est, in via exuat suaves, qui commixti ignavum relinquebant, odores: Sed dicant, quæ in Zibetho ingratæ, aut in cane putrido gratæ partes insint.

CLX.

Pomponius Jureconsultus in *l. in argento* 21. §. *Unguentis Legatis.* 1. *ff. de Auro argent. mund. &c.* mentionem facit unguentorum sanitatis causâ adhibitorum, quorum inter alia nominat muram sive murrham: Quæ lapis est, odoris præstantiâ nobilis, apud Parthos ex humore natus: calore solis sub Terra concreto, ex quo contrito odoramentum componitur, διάπασμα à *Plin. l.* 13. *c.* 2. *& l.* 21. *c.* 19. nuncupatum: Quare culpâ vacare non video *Guid. Pancirollum*, qui pro mura myrrham restituit, siquidem, quod *Lipsius* monet, in emendandis libris, quò minùs à vulgata recedimus lectione, eò præstantior est emendatio.

CLXI.

Stacte meritò dicitur, quæ sponte ex arbore, priusquam incidatur, sudat, quod *Plinius* vult; Myrrha verò, quæ nonnisi cortice ferro soluto prodit: Unde illam odoratiorem ac præstantiorem, tanquam ex officina naturæ mirabili deprómptam, esse constat: Frustrà proin *Salmasius* & alii *Theophrasto* ac *Dioscoridi* assentientes, erroris insimulant *Plinium*, quasi arte fieret: Natura quidem natam arte perfici non negavero.

CLXXII. Mira

CLXII.

Mira est in condiendis odoramentis experientia, ut sæpè ingratè olentia, cætera suavitate prædita, torpescentia atque sepulta excitent: Sic moschus effætus, aut situ ac mucore inquinatus, graviterque redolens, præstantissimus denuò redditur, si panno urinâ leviter perfuso excipiatur.

CLXIII.

Quæsitum est hactenus, nùm inter pisces, an aves numeranda sit gallis dicta La macreuse, Lat. Fulica, quam ad gallinæ magnitudinem & formam ferè accedere, ac ex putredine, instar anguillarum, pronasci scribunt, quas tamen alii ex ovis æstate excludi credibiliùs existimant: Quibus non longè dissimiles sunt, quæ circa stagna Monspeliensia capiuntur dictæ Foucques, ac tanquam aves mensis non injucundè (quantùm palato quidem visum meo) apponuntur? Ego, siquidem ab *Aldrovando, Bellonio*, in historia avium nominantur, ad has meritò referendas esse censeo, quippe quod & rationes non invalidæ confirmare videntur.

CLXIV.

Errant, qui pulverem (quem aurum fulminans vocant) ex auri partibus ad sonitum faciendum constare debere putant: Citra hujus enim additionem illum plùs satis validum parabis hoc modo: ℞. Sulph. p. 1. Sal. Tart. præp. p. ij. Nitri p. iij. Ms. ac quantum cuspis cultri capit, in cochleari cupreo igni admove, viresque effrænati maximè nitri experieris.

CLXV.

Non assequor perfectè, quî aqua per condensationem congeletur, cùm majus tamen spatium requirat? Cujus experientiam tibi comparabis in globo æneo aquâ repleto, exacteque clauso, ac in patinam glacie contusâ cum sale refertam reposito, cujus aqua intra dimidium horæ quadrantem congelabitur, globusque summâ vi dirumpetur: Causa patet.

CLXVI.

Mirum videri posset, qui circa festum D. Catherinæ mense Novembri (quo olivæ jam nigricantes ab arbore colligi, saccis impositæ supra terram suspendi, ut humiditates abundantes exuant, demumque circa 1. Januar. molis apertis minutissimè triturari, ac aquâ calidâ in mollem pastam subigi, tandemque torculari exprimi solent, unde oleum) sauciato oleæ cortice, aut majore aliquo trunco, emanet manna verè melleum, non solùm colore, sapore, sed & duratione incorruptum, quippe cùm tota arbor aliàs cortice, caudice, fructuque amara sit ac ingrata!!

CLXVII.

Egregiè Monspelii ex lamellis cupri è Germania accersitis, acinisque uvarum alternatim intersertis, ac vino depauperato subtus evaporante è vase terreo deorsùm angustato, viride æris parare nôrunt. Sed mirum, binis inde horis pagis dissitis confici minimè posse: Hinc cogita, quantum cœli, solique mutatio mutare res valeat, nec quære ampliùs, cur nulla in Brassilia cerevisia vel parari, vel conservari queat.

CLXVIII.

Acutioris est sensus tenuis meninx, unde meritò immanes ei adscribuntur cephalalgiæ: Nil minùs tamen (quod vulgò creditur) acres ac tetros vapores à visceribus imi ventris, maximè ventriculo, hypochondriis aut utero elevatos, hanc membranam ferire, adeoque eam dolore percellere crediderim.

SED

Abrumpere, calentemque adhuc foculum desere-re, consideréque proximantibus convivis indicta hora jubet. Fercula proin (ob quæ vicinia majorem quidem, ast brevem fumum vidit) mensæ medicæ exposita sunto, si modicum priùs, quod primo, ad redimendum symbolum, debebatur loco, Salis inspersero : Ne temerè nimirum ac citra nostrum (quibus nota natura eorum est) consilium, quævis quibusvis inter sese permiscendo confundantur, secùs quæ olida jam sunt, delicatulum Simiæ aut potiùs vulpeculæ cujusdam gustum acriùs ferire forsan possent, cui prævenisse incommodo, non ingratum, nec arrogantiæ transcriptum fore confido. Certum enim est, quicquid etiam apud *Terent. in Eunucho* gloriosus de sese sentiat *Thraso*, Non omnia possumus, aut scimus omnes, nec ullus est tam abjectus, qui non aliquid eximii habeat præ alio. Claudimus proin meritò mensam nostram hisce *Theognidis* distichis,

Ὅστις τοι δοκέει τὸν πλησίον ἴδμεναι οὐδὲν
Ἀλλ' αὐτὸς μοῦνος ποικίλα δήνε' ἔχειν.
Κεῖνός γ' ἄφρων ἐστὶ, νόου βεβλαμμένος ἐσθλοῦ.
Ἴσως γὰρ πάντες ποικίλ' ἐπιστάμεθα.

JAM JAM
VENITE VIDETE VALETE.

